

LEECH (John)

EPIGRAMMATUM LIBRI QUATUOR (3349 vers)

(N.B. Les nombreux mots, expressions et vers en grec ont été translittérés.)

IOANNIS LEOCHAEI EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS

AD MUSAS

E1_1 v.1 Lusimus, et primos tenerae lanuginis annos
 2 jussit amor castris ecce vacare suis.
 3 Jam nova Pieriae praetentant fila puellae,
 4 jam novus auratam pulsat Apollo chelyn.
 5 Bilbilides Musae, mihi vos ab amore secundae,
 6 porgite de vestra pocula plena manu,
 7 et tria mi, sed non cupidae quae Cinna maritae
 8 (res mihi cum domina convenit ista mea),
 9 sed praebete salis, nasi et brevitatis acumen,
 10 quo possum ingenuus libera verba loqui.
 11 Ne tamen exactis Cybeles me reddite mysten
 12 testibus, at veri sit mihi forma viri.
 13 His nam ego si viduer (vetet o Cytherea) puella
 14 nulla leget numeros nec feret ulla meos.

IACOBO HAYO VICECOMITI DUNCASTRIAE

E1_2 v.1 Si mihi de Pario non surgat marmore templum,
 2 nec camera auratas explicet ulla trabes,
 3 si mihi non tot sint quod jugera milvius errat
 4 dum sol occiduo gurgite solvit equos,
 5 si procul et fastus et inanis nomina famae
 6 atque honor est tectis, ambitioque meis,
 7 pauper et ignotae traducens tempora vitae,
 8 a Jove et irato fulmine tutus eam.

9 Carus at Idaliis, at carus Apollinis umbris
 10 Castaliam noto tramite carpo viam.
 11 Inter et errantes hederas laurumque perennem
 12 possum Aganippaea carmen hiare lyra.
 13 Carmen quod tragico feriat modo pulpita versu,
 14 et modo de socci legibus apta canat,
 15 carmen Acidalio modo quod rapiatur ab igne,
 16 seria nunc positis temperet orsa jocis.
 17 Ludicra nunc facili joca ludimus ecce Camena,
 18 et damus hos, multo sed sine felle, sales.
 19 Nugarum hic labor est. Tamen haec nugosa Thalia
 20 jura patrocinii postulat, Haye, tui.
 21 Si pudet illarum (mihi munera nec super ulla),
 22 elige utrum nugas vis an habere nihil.

IN NOBILISSIMAM ET PULCHERRIMAM URBEM LONDINUM

E1_3 v.1 Nectaris aeterni pleno dum largius haustu
 2 indulget superum laeta corona deum,
 3 paulatim caluere animi, discordia pacem
 4 rupit, et in partes hos vocat hosque suas.
 5 Londinum certamen erat, cui sacra deorum.
 6 Judice sub magno lis stetit illa Jove.
 7 Bella pater Mavors, artes Tritonia Pallas,
 8 regia divitias nupta sororque refert.
 9 Blanditias Cypris, merces Cyllenius ales,
 10 Neptunus Tamisin, aequora, vela, rates,
 11 Delia venandi studium, Phoebusque poetas,
 12 Hippotades zephyros, spicea dona Ceres,
 13 Mulciber artificum fornaces, Disque metalla,
 14 at Bromius patrii munera rara meri.
 15 Hic pater, ut vidit studia exardere deorum,
 16 Jupiter e solio talia dicta dedit :
 17 "Unum aliquem reliquae, cunctas quae sola relinquit,
 18 vendicet haec cunctos, urbs quoque sola, deos."

CANACE MORIBUNDA

E1_4 v.1 Das telum, Macareu, telum, pater Aeole, nobis.
 2 Hoc accendor amans, hoc moribunda cado.

IN EUNUM

E1_5 v.1 Tu licet incedas Tyrio spectandus in ostro,
 2 possideas quantum Lydius amnis obit,
 3 tu licet Assyrio flagres perfusus amomo,
 4 stipite vel costi mollis Achaemenii,
 5 cur veteris sortis tamen, o nos immemor Eune,
 6 relliquias primae despice amicitiae.
 7 Nec mage te sophiae praeclaris artibus auctum
 8 rere, vel eloquio consiliove gravem.
 9 Fallere si haec credis, neque enim hoc multicia praebent,
 10 ut sit multiscius qui modo erat sciulus.

IN PYRAMI ET THISBES MORTEM

E1_6 v.1 Quos parilis parili conjunxerat igne Cupido,
 2 fata jubent parili morte perire pares.
 3 Felices, unus quos non disjunxerat ignis,
 4 una dies, unus terror, et una quies.

MORTIS EORUNDEM MODUS

E1_7 v.1 Dum venit hic timet haec, haec dum timet hic venit ultro.
 2 Hic illa veniente cadit, venit illa cadente hoc.

OMINOSA IN EORUNDEM AMORE

E1_8 v.1 Infelix paries, spes, et promissio amantum,
 2 infelix nox, infelix ferale sepulchrum,
 3 infelix morus, fons, et spelunca leonis,
 4 infelix vestis, nimis infelicia cuncta,
 5 vos infelices tumulo clausistis amantes.

IN VATUM, EXIMIUM POTOREM

E1_9 v.1 Humida perpetuum cur stillant lumina rorem ?
 2 Distendunt tumidam quae mala, Vate, gulam ?
 3 Quod solitus fugit ore color, geniumque labascit ?
 4 Pustula quid rubras pingit oborta genas ?
 5 Anne quod est Bromii jucundum nectare noctes
 6 saepius, et toto fallere, Vate, dies ?
 7 Sed pudet (ah !) totas jam consumpsisse lucernas,
 8 inter et evantes delituisse choros.
 9 Jam placet ardenti venerari numina cura,
 10 et petitur canis justa diaeta comis.
 11 At melius justam poteris servare diotam,
 12 cum sit aqualiculus justa diota tuus.

IN GRAMMATICUM UXORIUM

E1_10 v.1 Quod sis grammatus, repetita pagina Vallae,
 2 quod medicus, medica clarus in arte deus,
 3 quod vates, Aganippeo de fonte puellae,
 4 quod sis Socraticus, femina sola dedit.

DE LEPIDO ET CONJUGE FEBRE LABORANTE

E1_11 v.1 Duxerat illepidam Lepidus pro conjuge, eratque
 2 juncta parum duro dira virago viro.
 3 Viserat hanc rapida male tostam viscera febri,
 4 utque stetit, vultos composuitque suos.

5 "Quamnam," ait, "o conjunx, tua vis post funera, quamnam
 6 in nondum vacui parte cubare tori ? "
 7 Audiit et "Stygii placeat tibi filia Ditis.
 8 Ista premat nostri fulcra," ait, "una tori."
 9 Cui Lepidus, "Vetat hoc pietas castumque cubile
 10 tu mihi, tu Stygii nam soror ipsa dei."

IN CHARIDEMUM AVARUM

E1_12 v.1 Mutua cum centum nuper te forte rogarem,
 2 mutua tu centum, mi Charideme, negas.
 3 Pauper eras memini, nunc ipso ditior auro.
 4 Mutua tu centum, mi Charideme, negas.
 5 Mutua non cupio, centum mihi debita posco.
 6 Debita sed centum, mi Charideme, negas.
 7 Usque negas ? Centum nec, si des mille ducenta,
 8 accipiam. Tune hic, mi Charideme, negas ?

LOTHI UXOR, SALIS COLUMNA

E1_13 v.1 Hic abest tumulus, manet cadaver.
 2 Hic adest tumulus, perit cadaver.
 3 Hic nec est tumulus, nec est cadaver,
 4 hic est cum tumulo suum cadaver.
 5 Nam quae dirigit salis columna
 6 hic ipsa est tumulus sibi et cadaver.

EADEM RESPICIENS

E1_14 v.1 Respexi Sodomam, scelus hinc et poena, relictam.
 2 Respicias illum unum, despice cuncta, Deum.

EADEM, AD VIATORES

E1_15 v.1 Cum male respexi nil vidi, crede, viator.
 2 Occlusit manibus lumina Parca suis.

DE MATHONE

E1_16 v.1 Dum Tulli Matho, dum chartis Demosthenis haeret,
 2 continuans noctem pervigil atque diem,
 3 plurimus assultans circumque atque undique pulex,
 4 invasit miseri colla femurque viri.
 5 Ille autem edoctus magni secreta Platonis
 6 atque Stagiritae clarus ab arte senis,
 7 exstinxit vigiles, prudens sapiensque, lucernas,
 8 ne sese aspiciens pungeret inde pulex.

IN NIOBEN, EX GRAECO LEONIDAE

E1_17 v.1 Non iste tumulus mortuum intus contegit,
 2 extra nec iste habet sepulchrum mortuus.
 3 Ipse at sepulchrum et ipse mortuus sibi est.

DE PHOEBO AMANTE LEUCOTHEAM

E1_18 v.1 Caece puer, flammis quid flammis, ignibus ignes
 2 addis, et accensae vim rabiemque faci ?
 3 Ille etiam qui cuncta salo, caeloque, soloque
 4 quique alias vidit quid sit amator, amat ?
 5 Tela, faces, pharetraeque ferae ! Quid mira, vel ipsum
 6 si necet artificem vis geminata deum ?

AD EUNDEM AMANTEM

E1_19 v.1 Ah ubi quae densas claro splendore tenebras
 2 lux fugat, et tanti lumina tanta dei ?
 3 Lux sine lucis adest, lumen sine luminis usu,
 4 noxque latet flammis, Phoebe, diesque tuis.

IN CARDINALES PONTIFICIOS

E1_20 v.1 Cur nam ita coccineo rubeat carnalis amictu,
 2 nec nitido siccam syrmate verrat humum
 3 quaeris ? Habe : audierat flammis rubuisse gehennae,
 4 incipit hinc patriae concolor esse suae.

SPES, AD REGEM POST BASIA DEXTRAE

E1_21 v.1 Spes fugitiva diu, vultu manibusque duorum,
 2 et Jovis et geniti visa manere Jove.
 3 Non semel illa meis avide est quaesita Camenis,
 4 respuit instantes non semel illa preces.
 5 Nunc tandem, sacrae post oscula dulcia dextrae,
 6 indivisa meo est juncta comes lateri.
 7 Spem misero vati tribuerunt oscula dextrae.
 8 Si rem contulerint, res mihi major erit.

IN PAULUM EBRIUM

E1_22 v.1 Bellua semper eras, madidus nunc turpe Lyaeo
 2 non fera tu solum, Paule, sed es furia.
 3 Quinam istuc rogitas ? Mores quoniam arguit Euan.
 4 Cernere nunc primum, factus es ante malus.

AD AMICUM PODAGRICUM

E1_23 v.1 Quod modo te podagra, modo te doluisse podagra,
 2 scribo, putas numeris crimen inesse meis.
 3 Ignoscas si quid pede nos peccavimus uno,

4 namque pedes sequitur pes meus ille tuos.

DE SE, AB EMENSO CURSU SUO PHILOSOPHICO, IN COLLEGIO REGIO ABREDONENSI

E1_24 v.1 Teutonicum qua Deva subit, qua gemmifer aequor
 2 dona sub Arctoo longior axe petit,
 3 qua geminae in geminis surgentes vallibus urbes,
 4 mercibus haec, Musis clarior illa suis.
 5 Censentur gemino contingere vertice caelum,
 6 et curae summis hoc magis esse diis ;
 7 Marria me tellus volventem vidit ephebum
 8 scripta Stagiritae docta, diserta senis.
 9 Tunc Elphinsoniae cuncta erudiere Camenae,
 10 et lauro nostras impediere comas.
 11 Paene puer sic philosophus, me cuncta putabam
 12 scire unum, et gremio cuncta latere meo.
 13 Nescio nunc qui cuncta sciam, nam vix scio quicquam,
 14 et scire hoc solum me scio, scire nihil.

IN CURAS, EX GRAECO PALLADAE

E1_25 v.1 Si prosit curas habuisse, habe, et anxius esto.
 2 Sin tu cura Deo, quo tibi cura magis ?
 3 Absque Deo nimis haud doleas curasve repellas,
 4 nam quo aliquid curae sit tibi, cura Dei est.

IACOBO HAYO, VICECOMITI DUNCASTRIO, KAL. MAII

E1_26 v.1 Unde forent Maio primum data nomina mensi
 2 inter praecipuas lis fuit orta deas.
 3 A Maia voluit Cyllenide mellea Cypris,
 4 a majestatis nomine nupta Jovis.
 5 Majorum a titulo dici Latonia virgo :
 6 cum Pallas, reliquas constitit ante deas,
 7 et simul, "Hinc abeant lites, haec ante fuerunt.
 8 Nunc nostri ex Hayi nomine Majus eat.

DE SCOTICAE RELIGIONIS REFORMATIONE

E1_27 v.1 Papa Caledoniae dum religionis habenas
 2 rexit, erant miseris omnia plena malis.
 3 Mox pia sacrilegae succedens nata parenti
 4 edocuit recto tramite ferre gradus.
 5 Sed scelerata uno templis dum avellit honorem,
 6 et Christi in chreston congerit omne suum.
 7 O pietas, o saecla, superstitionosa priorum
 8 turba patrum, patriae commoda turba tuae.
 9 O pietas, o saecla, o sat rabiosa novorum
 10 turba patrum, patriae commoda turba tuae ?
 11 Certe ego nescio quem laudem damnemve duarum,
 12 impia te pietas, an pia te impietas.

IN QUENDAM CARMEN AMATORIUM SCRIBERE ROGANTEM,
AMANTIUM NOMINA SUBTICENTEM

E1_28 v.1 Quid sine nominibus, summis sine partibus ignes,
2 ut geminus gemino pectore flagret amor,
3 scribere me poscis, dubioque in amore morari,
4 caecaque ter caeci spicula ferre dei ?
5 Nomina Taenariae si nusquam nota puellae,
6 pastori arbitrii praemia nulla forent.
7 Si neque Maeonia legeretur scripta papyro,
8 dura foret nullis Icaris ulla procis.
9 Haec mihi si dederis, tibi posteriora canentur.
10 Nam mihi prima latent, posteriora patent.
11 Quin dominae mores imiteris, amator ? Ab illas
12 disce : priora patent, posteriora latent.

D. IOANNI SCOTO SCOTERVATIO EQUITI etc.

E1_29 v.1 Si mea nil sapiunt, insulsaque carmina prostant,
2 nec vena in numeris Bilbilitana meis,
3 res non mira equidem est. Epigrammata quis modo scribat
4 cum sine felle sales, cum sine melle jocis,
5 scribere sit licitum ; ridere, aut ringere, inausum,
6 ludere molliculum, laedere triste malum.
7 Fas tantum laudare malos, applaudere amicis,
8 tollere non dignos, dicere non meritos.
9 Atque ita sors mala sit, nec prospera, Scote, necessum
10 ut quo aliis placeam, displicuisse mihi.

IN PRISCUM EQUITEM LUE VENEREA EXTINCTUM

E1_30 v.1 Hospes ades, jacet hac (nomen si quaerere pergis)
2 ultima non equitum gloria, Priscus, humo,
3 qui vitam in gremio dominae demisit, et inter
4 invenit vulnus mortis utrumque femur.
5 Si talis patuit caelos via forte petenti.
6 Si aetherium hoc solo tramite legit iter,
7 ultimus est qui sic superiorum tecta subivit,
8 primus et hanc potuit qui superare viam.

AD PRISCILLAM

E1_31 v.1 Cum primum mihi nota, tum pudica,
2 casta, sobria, continens, modesta,
3 et quantum pote, plurimum venusta.
4 Te paucos ego jam dies reliqui,
5 et te deseris, impudica facta,
6 et moecha, ebria, turpis, et molesta,
7 at quantum pote, plurimum, invenusta.
8 Qui factum rogo ? Num Venus jocosa,
9 num dulces ita Cypridos choreae ?
10 Eho, jam video quid istud, olim

11 quod dici solitum velit, puella :
 12 intestina semel, periculosum
 13 degustasse, labris, canum, supremis.

IN IMAGINEM OLI RHETORIS

E1_32 v.1 Haec Oli meditatur imago, silet tamen ipse.
 2 Rhetor imago etenim ; sed imaginis Olus imago est.

ULTIMA DIDUS QUERELA, AD LACHYRMAS SUAS

E1_33 v.1 Lucida quae teneras foedasti guttula malas,
 2 haec mea fer Phrygio verba suprema duci.
 3 Tristis hiems Nerei, rapidorum insania fratrum,
 4 detulit huc vestras trans freta longa rates.
 5 Nubila tempestas, commixta grandine ventus,
 6 spelaeo junctos detinuere duos.
 7 Bruma rigens, Boreae et saevi violentia Nerei,
 8 promissam thalami dissoluere fidem.
 9 Quid querar ? Ah, comites pudor est spectare pudicas,
 10 spernet in Elysiis forte Sichaeus agris.
 11 Qui mihi te attulerant, mihi te junxere sub antro :
 12 cur solvunt dubiam ventus et unda fidem ?

DE MORTE EIUSDEM ET SICHEI PRIORIS MARITI

E1_34 v.1 Hei quam dissimiles tuae fuerunt
 2 mors et vita tui prius Sichaei !
 3 Hei quam dissimiles ! Tuus Sichaeus
 4 amentis cecidit dolis amici.
 5 At tu, magno in amore, amans et amens
 6 amantis cadis ah dolis amici.

AENEAE RESPONSIO JOCOSA

E1_35 v.1 Non thalami, regina, fides te laeserat ulla,
 2 non comites ratibus, ventus et unda, meis.
 3 Quid quereris ? Si testis Amor, si regia Juno,
 4 haec hostis, solus non sibi testis Amor.
 5 Ni sint nequitiae testes testes, fugit alter.
 6 Noli testiculis credere tanta meis.

IACOBO, MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE, ET HIBERNIAE REGI

E1_36 v.1 Aurea cum veteres agitarent saecla parentes
 2 qualia falciferi regna fuere senis,
 3 lex vetuit superum caelestia numina divum
 4 cernere mortali lumine posse homines.
 5 Te tamen ut video superos me cernere credo
 6 aut Suadam, aut Musas, aut Sophiam, aut Charitas.
 7 Nec tamen aut legum violo decreta sacrarum,

8 laedo nocens summos aut, Iacobe, deos.
9 Nempe deum ut vetitum sub forma cernere divi
10 non vetitum est hominem cernere posse deum.

DE SE

E1_37 v.1 Non ego ero medicus, matelae haud lotiique peritus,
2 ut nec avaritiam saevitiamque probans.
3 At fora me terrent, trepidorumque ora reorum,
4 linguaque venalis, conscia mensque dolis.
5 Quinam theiologus potero vel episcopus esse ?
6 Nam me theologi aut praesulis ecquid adest
7 aulae amor, argentum, Bacchi liquor, herbaque paeti
8 et toga lata humeros, et gula longa pedem ?
9 Sic ego non medicus, juris legumque peritus,
10 sic ego theiologus jam minus esse queo.
11 Nec tamen inquiras opus est quis vivere pergam.
12 Omnia deficient, at Leochaesus ero.

DE CUPIDINE ET VULCANO

E1_38 v.1 Viderat Idalium flectentem cornua divum
2 Lemnius, et vultu talia torvus ait :
3 "Pone arcum, furibunde puer, celeresque sagittas,
4 telaque majori tanta relinque deo.
5 Nam gravis es cunctis, matri quoque noxius. Inde
6 tot mihi de laeso jurgia nata toro."
7 Cui puer haec Veneris : "Quid si mea, Lemnie, ponam ?
8 Anne minus nostris sunt sua tela diis ?"

IN PRISCILLAM

E1_39 v.1 An Priscilla Venus, Juno, an Tritonia Pallas,
2 an mage venatu Delia clara suo ?
3 Non Venus est. Namque ut pulchra, et moecha, et bene compta
4 Orchomeni comites non habet usque deas.
5 Non Juno. Nam ut zelotypa est satis atque superba,
6 ecquid habet, quo se nunc tueatur, opum ?
7 Non Pallas. Namque ut sat bellica et utilis armis,
8 indocta, imprudens, ingeniosa minus.
9 Quidnam igitur ? Num fors erit haec Latonia proles ?
10 Nec procul a genio dissidet illa deae.
11 Utraque cornuta est, et saepius utraque pernox,
12 utraque pleno orbe est, dimidiove minor.
13 Eclipses patitur saepe utraque : silicet usque haec
14 defectu fratris, pixidis illa suae.
15 Mobilis, inconstans, incerta est utraque multum,
16 utraque splendidula est, utraque blandidula est.
17 Utraque venatrix, atque utraque retia tendit.
18 Illa feras, juvenes captat at illa feros.
19 Adversum per iter solet utraque tendere gressus,
20 illa polo melius, rectius illa solo.
21 Utraque nocturno numquam lassata labore.

22 Priscillam Ortygiam quis neget ergo deam ?

DAVIDI RHAETO COLLEGI REGII ABREDONENSIS MODERATORI

E1_40 v.1 Rhaete, qui ab historico moderaris quinte Boethio,
 2 magna Elphinstoniae gloria, Rhaete, scholae,
 3 annua restituis qui pensa, et diruta rursus
 4 artificii curas aedificanda manu,
 5 sic tibi felices anni facilisque senectus,
 6 sic relicum vitae molle eat omne tuae.
 7 Paulum agedum assiduo temet furare laboris,
 8 otia da Musis quantulacumque meis.
 9 Dicere dum salvere tibi possintque valere.
 10 Elige utrum cupias, sed modo, Rhaete, vale.

VENUS ADONIDEM BASIANS IN TABULA

E1_41 v.1 Basia de pueri decerpsi mille labellis.
 2 Si potero artificem flectere, plura dabo.

ADONIS DORMIENS IN TABULA

E1_42 v.1 Comprime, quisquis ades, vocemque gradumque, viator.
 2 Hic spes, hic Veneris gaudia dormit Adon.

MARS VENEREM IN TABULA BASIANS

E1_43 v.1 Tutius ante boni poteratis ludere amantes.
 2 Nunc est deprensus, credite, poena focus.

DE HENRICO IV PARISIOS, ABIURATA PRIORE RELIGIONE, INGREDIENTE

E1_44 v.1 Sceptra de stirpe satus, Borbonius heros,
 2 prima tulit tenera sceptrum Navarra manus.
 3 Gallica dein patrio populatus milite rura
 4 infestus Parisiis moenia celsa petit.
 5 Sequana miratur, cinctam cum civibus urbem,
 6 Longa famis passam taedia, longa sitis.
 7 Sed mage miratur, cultu victore relicto,
 8 victorem victis succubuisse sacris.

AD EUNDEM IN GERMANIAM PROFICISCENTEM

E1_45 v.1 Quid fastu, rex Galle, tumes, armisque superbus
 2 concipis imperium Teutona ferre tuum ?
 3 Ignoras ventura, instat Loyolius hostis.
 4 Vince Ravillacum, tum mihi Caesar eris.

DE EIUSDEM MORTE

E1_46 v.1 Ut sceptrā magnae dux Navarrus Galliae
 2 quamvis favente Marte victor undique,
 3 melius aspici posset (o pudor !) Fidem,
 4 et numen, ejuravit, atque numinis
 5 cultum priorem, at ore tantum (ut aiunt).
 6 Negavit ista, hinc, ore poenas protenus,
 7 cultro petitis dentibus Loyolio
 8 persolvat. At, dum mente pernegat Deum
 9 falsisque totum ritibus pectus dicat,
 10 cultro petitum pectus est Loyolio.
 11 Pavere discite, haec videte, principes.

IN BUCHANANOMASTIGIS ONOPORDI ARROGANTIAM

E1_47 v.1 Aonios proceres et notae nomina famae,
 2 Scaliger, Aoniis notus et ipse jugis,
 3 contulit, et pulsu censor testudinis aurae,
 4 admonuit quidnam fasque nefasque foret.
 5 Uni Virgilio genii miratus acumen
 6 vatis et Aonio pectora plena deo,
 7 aeternas aeterno aras erexit honore.
 8 Forsitan et Phoebum credidit esse suum.
 9 Hei mihi, quod tu non illis, Onoporde, diebus
 10 movisti Clariae plectra sonora lyrae.
 11 Cui modo Fergusidos Maro cedere dicitur orae,
 12 quo Banni liquidas carmine mulsit aquas.
 13 Quid tibi pro meritis, quid pro tam fortibus ausis
 14 debet, Hyanthaei praeses Apollo chori ?
 15 Quid tibi doctorum tribuet schola tota virorum ?
 16 Quid mens Scaligeri iudiciumque senis ?
 17 Nescio, credo tamen (si quid mens augurat apte)
 18 illi aras, tibi sed constituisset haras.

DE CUPIDINE

E1_48 v.1 Forte puer pulicem genetricis ad inguina vidit,
 2 monstravit matri protinus inde suae.
 3 Atque ita non homines solum huic, non numina parti
 4 pumilus insidians sed facit ecce pulex.

AD LYCIUM

E1_49 v.1 Ergo nequitiis suis Neaera,
 2 ergo blanditiis suis Neaera,
 3 nugis, basiolis, Lyci, jocisque,
 4 arte te gremio fovet calente,
 5 et numquam Aonias, miser, sorores,
 6 oblitus Veneris Cupidinisque
 7 insani repetes ? Quid illa crinem
 8 laudat ? Quid placidum favente Musa
 9 carmen ? Quid queritur tuis gemellis
 10 totam se miseram perire ocellis ?

11 Ah ! Ah ! crede mihi, nec ista crinem
 12 nec te diligit ut Neaera crimen,
 13 nec carmen placidum, ut Neaera carnem,
 14 nec istos oculos, uti locellos.
 15 Hos, hos urit, et impotenter ardet.

COPULA NOVAE AMICITIAE

E1_50 v.1 Ingere discordes, lites finire cruentas,
 2 possit qua fieri condicione petis ?
 3 Foedera conciliet Bacchi gravis unio. Namque
 4 copula amicitiae pocula plena novae.

GEORGII HUMII COMITIS DUNBARI EPITAPHIUM

E1_51 v.1 Magne, jaces, regi magno, Dunbare, secundus.
 2 Livor et in tumulto, te moriente, tuo.
 3 Fors facilis fovit, dum fata Deusque fovebant.
 4 Quae ne te fugiat, tu prior ante fugis.

IN AGNELLI NUPTIAS SECUNDAS

E1_52 v.1 Agnus eras, Agnelle, senex licet. At modo ducta
 2 et juvene, et placida, corniger esto aries.

AD FELEM BIBLIOTHECAE CUSTODEM

E1_53 v.1 Felis mollicule, integer, tenelle,
 2 felis lynx oculis leoque forma,
 3 felis Niliacas deus per oras,
 4 felis deliciae merae Dianae,
 5 felis excubitor silente nocte,
 6 felis munditiarum amator une,
 7 felis qui pluvias notas fugisque,
 8 felis quem sua imago visa captat,
 9 collusor propriae subinde caudae,
 10 observator herae tuique tecti,
 11 felis multiplici stupende voce,
 12 Dum cattam sociam cibumve poscens
 13 rixaris, quereris, tibi que cantas,
 14 et loqui mihi cum tuis videris,
 15 felis muribus omnibus timende,
 16 felis gliribus omnibus verende,
 17 passer quem metuit loquaxque sturnus,
 18 horret quem Philomela psittacusque,
 19 qui muscas melius fero tyranno
 20 captas, fratre Titi, Nerone calvo,
 21 sic usque insidias struas dolose,
 22 sic semper tibi praeda sit petenti,
 23 sic semper tibi barba recta constet,
 24 sic munda emineas ubique pelle,
 25 sic sicco pede tutus ire pergas,

26 sic numquam canis efferus sequatur.
 27 Hos serva mihi, qua licet, libellos,
 28 has papyraceas meas Camenas
 29 cauto pervigilique ubique ocello.
 30 Quod si feceris impiger volensque,
 31 non te velleris arborisve custos
 32 insomnis draco vicerit. Superbum
 33 mille laudibus efferam, lyraque
 34 carum te Aoniae canam coronae,
 35 et fidum mihi. Quae tu ubi canentem
 36 intellexeris (ut soles) poetam,
 37 ter videberis, et quater beatus,
 38 ter faustus tibi, ter tibi que felix,
 39 felis, mollicule, integer, tenelle.

IN PESSIMAE UXORIS MARITUM

E1_54 v.1 Jam nihil Eumenides, nihil est Deois et angues,
 2 jam nihil est Stygii janitor ille dei.
 3 Sola tua Eumenides, sola est Deois et angues,
 4 sola tua est Stygii janitor ille dei.
 5 Immo uni Eumenides cedunt, Deois et angues,
 6 quique jacet Stygii janitor ille dei.

ADHUC, AD THELESINUM MARITUM

E1_55 v.1 Accipe iudicium veteris, Thelesine, sodalis,
 2 uxorem qualem credimus esse tuam.
 3 Dira, severa, cruenta, bonis odiosa virago est,
 4 tota labor noctu, tota dolorque diu.
 5 Denique et Absyrty et Pelopis soror una fuisset,
 6 si qua forent Samii dogmata vera senis.

IN QUENDAM

E1_56 v.1 Quidam hemistichio, doctorum indocta caterva,
 2 a Nemese fertur laesus abire mea.
 3 Qui neque iam doctus, neque tum doctor fuit ullus,
 4 cum Nemesis prelum nostra typosque tulit.
 5 Si sapit abstineatque meis parcatque libellis.
 6 Sentiet ultricem, ni caveat, Nemese.

AD MUSAS

E1_57 v.1 Quid precor hoc, Musae? Quaenam est seges ista malorum?
 2 Non licet et nobis vatibus esse licet.
 3 Edere non licitum, si quidquam invenimus ipsi,
 4 dictavit genius, quod Clariusque deus.
 5 Edere cogemur quodcumque rogarit amicus,
 6 fortunae institerit quolibet ille gradu.
 7 Scilicet hoc aliorum ex pectore scribere carmen,
 8 et genio tantum vivere ab alterius.

9 At nihil ingenuus vates bene scribet adactus,
 10 ducitur arbitrio nobilioris heri.
 11 Nunc tantum ad thalamos tumulosque vocamur inertes,
 12 quin etiam scelus est nixibus esse procul.
 13 Aut ludos canimus, reditusve abitusve sodalis,
 14 somniave, aut dominae munera blanda novae.
 15 Pingimus aut elegis lacrimas pereuntis amici,
 16 gaudia vel numeris noctis amica damus.
 17 Tale quid, aut aliud, sic qui velit esse poeta
 18 pro vate, hic mimus vel citharoedus eat.

IN MATHILDIN SYLVIAM

E1_58 v.1 Si fuit a multis multum cantata poetis
 2 Tyndaris Iliaci sola ruina soli,
 3 si fuit a multis multum laudata poetis
 4 casta inter medios Penelopaea procos,
 5 illa quod a multis fuerit repetita carinis,
 6 quod foret a multis ista petita procis,
 7 tum poteris simul una ambobus digna videri,
 8 et repeti radibus mille, petique procis.

EADEM DE RAPTU, BREVI CONJUGIO, ET MORTE SUA ALLOQUITUR DIANAM

E1_59 v.1 Delia, virgo tuis placui bene, Sylvia, sylvis,
 2 et fueram nymphis plus tibi nota tuis.
 3 Forte, pererratis dum verno tempore campis,
 4 depono tenerum fessa labore latus.
 5 Ecce repente ruunt satyri faunique bicornes,
 6 et resonat blandos turba petulca modos.
 7 "Misit Amor", narrant, promitto dulcia, fallens :
 8 sic fugi cupidus casta puella manus.
 9 Ergo ubi se vidit spretum et sua tela Cupido,
 10 tincta venenato spicula felle trahit.
 11 Mors properans arcumque tenens pharetramque recludens
 12 fixit letifero pectora prima malo.
 13 Sic dum vulnificis me certant fingere telis,
 14 praeda fui binis, una puella, diis.

IACOBO BRITANNIARUM REGI

E1_60 v.1 Cur ego despicior multis ? Quia stultus et excors.
 2 Cur stultus ? Quoniam semper egenus eo.
 3 Si quam sed egenus eam ratione requiras,
 4 fortunae vitio, non, Iacobe, meo.

IN PTHIROGRAMMUM GRAMMATICUM, AD SEXTUM

E1_61 v.1 Hic, cui "Phteir Kai gramma" dedit miserabile nomen,
 2 gallinae, sterilis, Sexte, vir, anne potens ?
 3 Rumor in ambiguo est. Clamant genitalia gallum,
 4 at conjux, quod non arrigat, Aula capum.

5 Quidnam igitur ? Poterit neutrumne an utrumque videri ?
 6 Aut mage qua gallus, qua mage parte capo est ?
 7 Esse nihil sine posse valet, sine mente cucullus.
 8 Turpior et gallo est bellua nulla capo.

D. IOANNI SCOTO SCOTOTERVATIO EQUITI,
 REGIAE CANCELLARIAE IN SCOTIA DIRECTORI

E1_62 v.1 An sequar ? An positis desistam scribere Musis,
 2 praesidium Musae, Scote, decusque meae ?
 3 Obstat, et inceptum graviter remoratur amicus.
 4 Et "Quid,"ait, "sterili semina credis agro ?
 5 Saepe mihi, pietas, nostrae certamina palmae
 6 aggredere." Haec mimo desere Pantalabo.
 7 Urbem odi, strepitumque fori vultumque senatus,
 8 offuit ingenio, Panthea, saepe meo.
 9 Blandula laetities Scoticis procul exsulat oris,
 10 nemo artis socius, nemo patronus adest.
 11 Quinam igitur scribam, positis epigrammata curis,
 12 Lerna mali Musas cum gravet ista meas ?

DE BARDELLA LATRONE, EX AUDEONI EPIGRAMMATUM LIB. I

E1_63 v.1 Dum Phlegetonteam spectat Bardella carinam,
 2 et prope Lethaeae turbida signa deae,
 3 "Ecce," cucullatus, "caelesti e nectare," mystes
 4 et tibi,"ait, "celso cena parata polo est."
 5 Cui Bardella : "Pater, si tam bona cena parata est,
 6 hanc cape, sat stomacho terrea cena meo."

ADHUC

E1_64 v.1 Dum nectar, plenis caeli dum fercula, buccis,
 2 Bardella monachus, jam moriente, refert,
 3 "Si tam lauta," latro respondet, "cena videtur,
 4 sit tibi nostra polo, sit mihi vestra solo."

AD PATRICIUM IUNIUM BIBLIOTHECARIUM REGIUM, IN AVAROS

E1_65 v.1 Nil habet infelix proprium quod dicat avarus,
 2 congerat Attalicas vel licet unus opes.
 3 Sed sitit inter aquas, oculisque fugacia cernens,
 4 ingemit a labris poma volare suis.
 5 Dumque capit capitur, dum nectit nectitur, et sic
 6 hic famulus domino dat nova jura suo.
 7 Nomen amicitiae, Juni, haud ignobile nostrae,
 8 quis miser ? An dominus, an magis hic famulus ?

IN PAETUM

E1_66 v.1 "Colicus invasit mea", Paete, ais, "ilia morbus,
 2 frigoribusque suis torminibusque gravis."
 3 Postica quoties male olenti putida mittis

4 flamina, disjectis qua via nota cibus,
5 improbius nihil est, nihil est te spurcius. Iste
6 colicus haud, Paete, est morbus, at Aeolicus.

IN LAMBERIANUM EBRIOSUM

E1_67 v.1 Ducere te nullam, nisi quae sit docta, puellam
 2 jurasti decies, Lamberiane, die.
 3 Nubere te uxori, sed eam te ducere malletm.
 4 Si titubes, media dux erit illa via.

IN CHRESTUM

E1_68 v.1 "Insanis, clamas, convicia spargis in omnes,
 2 si quando ludo, Chreste, victus aleae
 3 abscedis, quasi sint haec seria, ludicra cum sint,
 4 et fortuitae jactus impotens deae.
 5 Mansuetis (nescis ?) ludus cuncta ista jocusque,
 6 dementibusque sunt furor, rabies, dolor.
 7 Quorsum ergo insanis ? Quorsum convicia spargis ?
 8 Aut cede victus, Chreste, spem vel erige.
 9 Prudentique viro numquam crede esse decorum
 10 dolere ludis, seriisve ludere.

AD PHILOSOPHOS

E1_69 v.1 Dicite, philosophi, cur cum res cuncta gravetur,
 2 nec superinjecto pondere sit levior,
 3 unica virginitas, placidis onerosa puellis,
 4 sic, superinjecta sit gravitate, levis.

DE PANTALEONTE ET VENERILLA

E1_70 v.1 Cur studiosa diu noctuque adversa marito
 2 ceperat uxorem quaerere Pantaleon.
 3 Cui bona, sollicitas ridens, Venerilla querelas,
 4 reddidit adjunctis talia verba minis :
 5 "Quid, miser, ista rogas ? In publica commoda peccas,
 6 si non haec dominae vis dare jura tuae.
 7 Nam qui nos junxit, tibi me parere diebus,
 8 non jussit famulam noctibus esse tuam."

DAVIDI LEOCHAEO A MOUNSEMILLE SUO, DE USU RERUM

E1_71 v.1 Utere praesenti, famulus tibi serviat aurum.
 2 Tristior est nummo vis quia nulla deo.
 3 Cur tibi divitiae, si te argentata cupido
 4 jusserit aurato subdere colla jugo,
 5 si tibi nam praesens pariat fastidia nummus,
 6 ni tua quae non sunt feceris esse tua ?
 7 Fors, Leochae, suum Fortuna volubilis axem

8 vertet, erit leto haec tristior hora tuo.
 9 Tunc te aliquis naso cupiens suspendere adunco
 10 praeteriens, falsa scommata voce dabit :
 11 "Hinc procul ad corvos, nam dum tibi cuncta, carebas.
 12 Nunc cunctis careas cum tibi, avare, nihil."

DAVIDI LYNDESIO, EPISCOPO BRECHINENSI

E1_72 v.1 Lyndesidum jubar, Aonidum decus, auree mystes,
 2 qui Celurcanis das sacra jura meis,
 3 quam patria historici Taodunum terra Boethi,
 4 quem salmone ferax nobilis Esca colit,
 5 qua filicum surgit de nomine dicta Brechinum,
 6 et turris modoco Marria colle tumet,
 7 cui stat Aberbrothea antiquis miseranda ruinis,
 8 et veteres regum Farfora deliciae,
 9 gratulor hos meritis titulos accedere vestris,
 10 ut qui olim tanto nomine dignus eras.
 11 Et quid adhuc caecae querimur vim sortis inanem.
 12 Hic certe vidit, nec dea caeca fuit.

IN LYCORIN

E1_73 v.1 Et docta est satis, et satis modesta,
 2 dotata est satis, et satis venusta,
 3 et centum simul artium Lycoris,
 4 sed fecunda parum. Putet quis istud ?
 5 Si famae quis enim locus relictus,
 6 si rumoribus insuper, Lycoris
 7 quae nullos tulit, haec tulit trecentos.

NOVAE NUPTAE, PARODIA CATULLIANA.

E1_74 v.1 Virginitas non tota tua est, ex parte coquorum est.
 2 Tertia sartori data pars, data tertia verna.
 3 Tertia sola tua est. Noli pugnare marito,
 4 sed facilis, sua jura, simul cum labe, relinque.

IN LUCIUM

E1_75 v.1 Lucius in somnis sibi crescere cornua.
 2 Res mira : insomnis Lucia sensit idem.

IN CALAMUM SCRIPTORIUM

E1_76 v.1 Muta modo obstreperae volucris quae penna vocabar,
 2 carpere securas aere sueta vias,
 3 cultellis, saevi ferula scuticaque magistri
 4 appetor, et chartis victima grata cado.

5 Ventre tamen fosso prius et letalia fisso
 6 cogor ego tergo vulnera saepe pati.
 7 Sed tamen hunc nostrum solatur Musa dolorem,
 8 vertit enim ad varios ora refecta modos,
 9 queis (si fors dabitur nigri mihi copia potus)
 10 Tullius, Hippocrates, Zeno et Homerus ero.

ADHUC, AD SCRIPTOREM

E1_77 v.1 Muta prius volucris fueram quae penna loquacis,
 2 cum tua sum, coepi verba diserta loqui.

ADHUC

E1_78 v.1 Muta in avi obstrepera vivebam, muta trucidor.
 2 Nunc loquor in muta mortua penna manu.

IACOBO MACALONI DOCTORI MEDICO, DE VENATU CUM DRYADE

E1_79 v.1 Venatu Dryadem multo lassare volebam
 2 in silvis, Macalo dulcis amice, suis.
 3 Venatu non illa meo lassata recessit,
 4 sed fuit in silvis fortior usque suis.
 5 Illi blanda Venus, mihi tela Cupido ministrans
 6 ibat, et ad cursus turba parata canes.
 7 Tres bona turba canes, Paphiae ter sacra Dianae,
 8 si quando capiunt lustra nemusque deum.
 9 Hi pariles annis, Macalo, sed dispare forma,
 10 et quorum e numero longior unus erat,
 11 obsedere aditus, post cursum, limina bini
 12 observant, et ultro tertius ante subit.
 13 Hic certamen atrox multoque e vulnere utrimque
 14 et cruor, et nivei fluminis imber iis.
 15 Tum latebras obscura, canes et lustra relinquunt,
 16 et simul inventam deseruere feram.
 17 Exitus hic minor ille canis qui longior ante,
 18 ac fera fit major quae fuit ante minor.
 19 Quodque magis mirum est, duxit de more triumphum,
 20 captores cepit cum fera capta suos.

IACOBO MACALONI DOCTORI MEDICO

E1_80 v.1 Venatus Dryadis, silvaeque Venusque, puerque
 2 atque diis comites tres bona turba canes,
 3 qui pariles annis, Macalo, sed dispare forma,
 4 et quorum e numero longior unus erat,
 5 obsessique aditus, certamina, sanguis, et imber
 6 lactis, et hinc pugnae meta, tropaea, ferae,
 7 quicquid et ulterius nimium ludente Thalia
 8 aut cecini, aut visus sum cecinisse tibi,
 9 cura Caledonii Jovis atque antistitis ire,
 10 ire, procul numeris jussit et esse meis.

11 Haec solum e libris potuerunt tollere, sed te,
12 nec, Macalo, e libro, nec, Macalo, ex animo.

D. ROB. DOBBAEO EQUITI, IA. BONAVENTURAE HEPBURNI SCOTI
ALPHABETA LINGUARUM TYPIS EXCUSA, SIBI MITTENTI

E1_81 v.1 Ter, quater et denas, Hepburnae pignora mentis
2 misisti linguas, qui modo, dona mihi ;
3 ingrato, Dobbaee, loces ne munera Musas
4 has cape, pro tantis munera muneribus.
5 Nostra licet non aequa tuis (quis enim audeat istud ?
6 Nec meus hic tanta luditur arte labor.)
7 Attamen his suos adstat honos et gratia facto est,
8 nec tantum viles musica turba sumus.
9 Confer enim Musam atque artem diversa loquendi,
10 auctores homines haec habet, illa deos.

GUALTERO DONALDSONO, COLLEGII RUPELLENSIS MODERATORI

E1_82 v.1 Hoc sapere, hoc cunctis vacuum bene vivere curis,
2 tandem Aganippeas linquere posse deas.
3 Infelix, quicumque illo, Gualtere, furore
4 ebrius Aonias largius hausit aquas.
5 Infelix Claria quisquis prostratus in herba
6 Phoebeum assiduo pectine pulsat ebur.
7 O si me ulla dies, procul isto fonte relicto
8 exsulem in ignota vivere malit humo !
9 Tunc ego, vel certas rerum perquirere causas
10 auderem, aut magni mystica sacra Dei.
11 Quid patriae, quid deinde mihi magis utile, scirem,
12 et quo nunc deceat vivere quemque modo.
13 Nec tamen Aonias pudor est coluisse sorores,
14 aut prece Castalium sollicitasse deum.
15 Sed piget ingrati nimium, Gualtere, laboris,
16 sed piget una operam perdere, et una oleum.
17 Haec nova tristitias cura aggravat unica cunctas.
18 Nam Cerere et Bromio quid sine Musa canet ?
19 Aulae igitur fatuus, fatuo derisio vulgo,
20 opprobriumque bonis, ludibriumque malis,
21 sorte miser dura, cunctis vesanus, habere
22 qui cupit Aoniae pocula potet aquae.

IACOBO HAYO, VICECOMITI DUNCASTRIO

E1_83 v.1 Si totus placeat, totum precor, Haye, libellum,
2 sin minus, totum perlege dimidium.
3 Si neque dimidium medii mediumve placebit,
4 sit medio in medii margine meta libri.

EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS

DE SE ET SUIS LIBELLIS

E2_1 v.1 An leviore luto finxit mihi pectore Titan ?
 2 Affuit an cunis sidus inane meis ?
 3 Stultus et insanus credor, similisque furenti,
 4 et prope Lethaeae gurgite mersus aquae
 5 otia Pieriis quod dem tam libera Musis,
 6 sollicitemque omnes in mea vota deas.
 7 Credite mi, talis facit indignatio laudem,
 8 dedecus hoc magnum dat mihi ferre decus.
 9 Namque sat optavi tacita prece numen amicum
 10 si modo Castalii pars ego parva chori.

D. JACOBO FULLARTONO EQUITI, AB INTIMIS CAROLI PRINCIPIS CUBICULIS,
LIBRUM MITTIT

E2_2 v.1 Si vultum metuis Catonianum,
 2 si frontem Curii, quid incitata
 3 festinas, miser o libelle, planta,
 4 Fullartonum adiasse, teque vano
 5 frustra obtrudere derepente palpo ?
 6 Nescis nunc genus hoc patronulorum,
 7 quos si elegeris obsecraverisve,
 8 multum exceptus ab omnibus cachinno,
 9 nasi pondus eris miselle adunci.
 10 Nescis hoc criticum genus molestum,
 11 qui regalia tecta confrequentant.
 12 Hi si in praecipuis, diisque vatium,
 13 totus queis Helicon patet recessus,
 14 requirant aliquid. Quid, o libelle,
 15 de te, quid domino tuoque fiet,
 16 cui vix somnia Pindus est, bicepsque
 17 Parnassi caput, et latex caballi ?
 18 Sed te propositi tui tenacem,
 19 non haec ulla movent, viaque terrent.
 20 I, gravis licet ille, doctus idem est,
 21 et doctos qui amet unice poetas.
 22 Doctum ergo, liber, et gravem patronum,
 23 saltem tu hoc poteris rogare gratis,
 24 ut si non amet ipse tot cachinnos,
 25 at doctum se apud, et gravem patronum,
 26 indocto simul et levi libello
 27 concedat tibi ludere et joculari,
 28 gaudere, atque tuis mori cachinnis.

THOMAE MORAVIO, CAROLO VALLIAE PRINCIPI A SECRETIS

E2_3 v.1 Hunc tibi, Pierii, Moravi, nova gloria turbae,
 2 maxima cui juvenis tradita cura Jovis,
 3 ille tuus, (si forte tuum sinis esse) libellum
 4 mittit, Hyanteae, dona, sititor aquae.
 5 Iste quidem multo madidus licet ora cachinno,
 6 nil praeter nugas ferre, levesque jocos,
 7 serius et nulla videatur marginis ora,
 8 saepe tamen nasum rhinocerontis habet.
 9 Tu lector mihi, tu censor, tu deinde patronus,
 10 qua persaepe tuum visere fronte Jovem,
 11 ad mea dona veni : facillique hic accipe mente,
 12 quoscumque innocua lusimus arte sales.
 13 Si lassarit opus, ne fastidium eat a te,
 14 ne mora ne, Moravi, lemmata sola lege.

DE MEDICO ET GRAMMATACO, AD GRAECUM AGATHIAE

E2_4 v.1 Grammatico medicus natum mandarat alendum,
 2 Atque imbuendum literis,
 3 praesertim Graeces, sed postquam "menin Aeide"
 4 Atque 'algea ethêke', dein
 5 'pollos d'iphthimas psuchas aidi proiapsen'
 6 didicit repente filius,
 7 non voluit medicus natum ultra scire. Magistro
 8 verum obviam casu datus,
 9 "Gratia, amice, tibi debetur plurima apud me,
 10 semperque," ait, "debebitur.
 11 Sed natus potis haec de me quoque scire magistro
 12 quae illum docere coeperas.
 13 Namque et ego "pollas psuchas Aidi proiapsa",
 14 opera haud egenus hic tua.

BRISEIS DE SE

E2_5 v.1 Bella fui, nam bella viro, nam bella tyranno,
 2 totaque sunt vitae tempora bella meae.

ANSERES DENDROPHYTAE, ALIAS VULGO CLEKGEIS

E2_6 v.1 Aspice dendrophytas, naturae mira, volucres :
 2 anseris his Scoto nomina facta solo.
 3 Sylvanus pater est, genetrix dea caerulea Tethys,
 4 hac ubi finitimum circuit ursa polum.
 5 Decidit arboreum, stillatque in marmora semen,
 6 quod capit et gremio Tethys amica fovet,
 7 dum primo velut vermis, mox vera volucris
 8 evolet, et linquens, aera tranet, aquas.
 9 Cede Caledoniae volucrum genus omne volucris,
 10 nam genus a magnis haec habit una diis.

EXPOSITIO MALI ACONTII

E2_7 v.1 Quidnam isthoc mythici quondam voluere poetae ?
 2 Quid sibi vult malo littera sculpta suo ?
 3 Anne aljud malum, blandae quam Cypridos hortus ?
 4 Sculpserishic, votis cedet amica tuis.

IUPITER EUROPAM FERENS

E2_8 v.1 Dum veheret Tyriae dilectum pondus amicae
 2 taurus, et e mediis Jupiter esset aquis,
 3 Sidoni, "Quid gemitus, quid suspiramina fundis ? "
 4 Inquit, "Et effusis ora rigantur aquis ?
 5 Non ego sum pecudum taurus de gente tuarum,
 6 nec mihi lac vitulo de grege vacca dedit.
 7 Sub forma latet hac caelorum aeterna potestas,
 8 sub forma latet hac rexque paterque deum.
 9 Tu tellure ferens, pelago ut te, nympha. Decet nam
 10 vectori pretium ferre ferendo Jove."

BRITANNIARUM REGI JACOBO

E2_9 v.1 Si nisi opes solis, rex, ditibus, optime, dantur,
 2 si nisi possideam pauper egentis opes,
 3 semper opes aliis, mihi nulla sorte dabuntur.
 4 Sic ego perpetuo pauper egenus ero.
 5 Dura nimis vatum sors haec, contraria vestrae,
 6 qui fertis justa sceptrata beata manu.
 7 Maeoniden sileo : Clariae pater ipse cohortis
 8 pavisse Admeti fertur Apollo greges.
 9 Tu tamen arctos torques qui legibus oras,
 10 qua, Taus, irriguis, Banna, it , et Humber, aquis,
 11 omnia qui vincis, potes hanc quoque vincere sortem
 12 quae premit ingenium debilitatque meum.
 13 Vera etenim vatis quo sit sententia, ludens,
 14 da mihi divitias, auferat alter opes.

IACOBUS BRITANNIARUM REX INTER FLORES ERRANS KAL. MAII,
 ALLUSUM AD INSIGNIA REGIA

2E_10 v.1 Inter dum flores flos regum molliter errat,
 2 Chloris odoratos florea picta sinus,
 3 se regi, quo non major neque justior alter,
 4 obtulit, ac tales fudit ab ore sonos :
 5 "Si mea cum Zephyro valuissent vota, virerent
 6 hic modo purpureis lilia mixta rosis."

IDEM INTER ARBORES ERRANS EODEM TEMPORE

E2_11 v.1 Inter Hamadryadas, qui sceptrata Britannica torquet,
 2 cum taurum aversis sol fugiebat equis,
 3 errabat, procerumque simul lectissima turba,
 4 ante Jovem ut reliqui stant in honore dii.

5 Gaudebant nymphae decerptas arbore frondes,
 6 et cui de silvis nomina magna deus.
 7 Sed doluere illic laurum neque surgere olivam :
 8 saeperet in sacras, haec ut et illa, comas.

IN IOANNEM OGILVIUM IESUITAM, GLASCUAE SUSPENSUM

E2_12 v.1 Ut cruciet patrias cruciger Loyolius urbes,
 2 mille miser Latia detulit urbe cruces.
 3 Queis male consumptis, ne desit crux sibi, colla
 4 ipse dedit, patriae discrucienda cruci.

EIDEM IN CRUCE PENDENTI

E2_13 v.1 Huc qui mille cruces humeris persaepe tulisti,
 2 si potes, hanc humeris jam quoque tolle tuis.

DE EODEM

E2_14 v.1 Quaerite Minoas. Lex an rogo justior ulla
 2 in cruce Romuleas quam cruciare cruces ?

EX GRAECO IN LUSCINIAM CICADEM AD PULLOS IN NIDUM ORE FERENTEM

E2_15 v.1 Puella, melle quae nutriris Attica,
 2 praedam et cicadam, garrula ipsa garrulam,
 3 volucris aptum corripis pullis cibum,
 4 pennata pennatam affabre hospitem,
 5 et verna vernam. Quid, nec abjicis cito ?
 6 Neque enim esse justum fasque rere musicis
 7 perire saevum musicos ab oribus.

IN OLIDUM PHANTIUM

E2_16 v.1 Anguis virentem non amare fraxinum
 2 non brassicam vitis solet,
 3 lupis et agnis nulla par concordia.
 4 Par nulla feli et muribus,
 5 barrum draconi, et noxiis serpentibus
 6 camelo aecum quis junxerit ?
 7 Quae blanda nisos diligit columbula ?
 8 Quis scorpionem stellio ?
 9 Carebum an ulla polypumve saecula
 10 videre amoris in jugo ?
 11 Panthera hyenas, et lacerta cochleas,
 12 fugitque balaena orculus,
 13 et toxicatam te malorum originem
 14 mens horret haec medullitus.
 15 Non fulminanti qui trisulca dextera
 16 detorquet altus spicula,
 17 nec qui leonem, taurum, Echidnam vicerat
 18 equosque Thracis Hercules ;

19 pestem bonorum te mihi conjunxerit,
 20 pari parem concordia.
 21 Pari imparem te, aut imparem pari, volo, aut
 22 pari parem discordia.

GEORGIO VILLERIO MARCHIONI BUCQUHANGAMIO

E2_17 v.1 Deliciae nostri dulces Jovis, ora Britannis,
 2 clausaque cui occiduis paret Ierna vadis,
 3 pergratum Phoebo merito caput atque Camenis,
 4 sis faustum a villa nomen et arte mihi.
 5 Nec supplex quae vota tuli sine ferre procellas,
 6 diluat ut mediis turbidus Auster aquis.
 7 Forsitan, et nostris aliquid debere Camenis,
 8 aut honor, aut vestri nominis aura potest.
 9 Carminibus vivunt vatium regesque ducesque,
 10 qui nunc cumque virum docta per ora volant.
 11 Tu quoque, si mea quis tangit praecordia Phoebus,
 12 si quis ego fati lege solutus ero,
 13 aeternum, aeternus, ventura in saecula vives :
 14 nulla, heros, nomen nesciet hora tuum.
 15 Tu tantum mihi te causam debere canendi,
 16 te debere mihi, carminis orsa sine.

IACOBO HAYO VICECOMITI DUNCASTRIO

E2_18 v.1 Tunsae velut dubiis pinus Neptunia ventis,
 2 ludibrium irato quae modo facta mari,
 3 nunc male laxatis laterum compagibus, omnem
 4 nunc hiemem summis accipit uda foris.
 5 Aggere nunc vastae praecingitur undique arenae,
 6 nunc temere ad scopulos, caecave saxa fugit,
 7 donec ad Oebalios precibus descendere fratres,
 8 aut placitum pelagi sollicitare deos.
 9 Tunc Boreae ponunt flatus, tum sternitur unda
 10 tunc portum optato remige prora subit.
 11 Sic ego, perpetuo jactatus turbine rerum,
 12 obruor infestis paene premorque malis.
 13 Nec lateri fors dura meo discedit, at usque,
 14 luce mihi misero, nocte sedetque comes.
 15 Tu, quam saepe aliis, fer opem mihi, nobile germen
 16 Hayorum : et tandem spes modo certa veni.
 17 Nerea tu, pro me, terraeque undaeque potentem,
 18 et pelagi reliquos devenerare deos.
 19 Quod si praestiteris, pellasque has, Haye, procellas :
 20 tu mihi tu Pollux : tum mihi Castor eris.

EVA ET CYDIPPE

E2_19 v.1 Cydippen error similis delusit et Evam,
 2 falsa etenim malis utraque nympha datis.
 3 Nempe virum haec decepta capit, vir decipit illam.
 4 Haec ludit, cupido luditur illa viro.

IN CAELIAM

E2_20 v.1 Caelia de caelis se ducere nomina credit.
 2 Caelia caelicolis par sibi visa tribus.
 3 Par sibi visa tribus, geminis non aequa deabus.
 4 Par geminis, uni non tamen aequa deae.
 5 At si forte scelus de caelis nomina ducit,
 6 diva fit arbitrio Caelia nostra suo.

IN EANDEM

E2_21 v.1 Caelia caelicolis similis sibi sola videtur,
 2 sola sibi Pallas, sola superba Venus,
 3 caeli progenies, ducat cum ignobile scortum
 4 stemmata de scroto, fur generose, tuo.

DE QUODAM QUI SE ANTE MORTEM SEPELIVIT, EX GRAECO MACEDONII

E2_22 v.1 Senex egenus, nemo cum mortalium
 2 stipem petenti ferre vellet, paululum
 3 tremulis sepulchrum hoc artibus subii, et mala
 4 vitae, quietum terminum, vix denique
 5 potui invenire. Lex mutata funditus
 6 sed mortuorum in me unico : nam ceteros
 7 obire mos primum, hinc sepulchro contegi.
 8 Non hoc mihi fas, sed meme ipse cum miser
 9 tumulo induissem, coepi obire protenus.

IN AULUM

E2_23 v.1 Quid rear ? Aestivos urit dum Sirius agros,
 2 chlaena tibi, brumae tempore lena placet.
 3 Utraque culta satis, satis utraque vana videtur.
 4 Utraque Panchaeas spirat odora rosas.
 5 Utraque mobilibus multum inconstantior auris.
 6 Utraque quaesito tincta colore nitet.
 7 Utraque spectari gaudet, gaudetque probari.
 8 Utraque stultitias sat notat, Aule, tuas.
 9 Lena tamen oculos magis et magis haurit ocellos,
 10 numquam oculos, oculos et tibi chlaena minus.

HERCULES IN OETA

E2_24 v.1 Magnus ut ardentem insiliit Tirynthius Oetam,
 2 fortius extrema talia voce dedit :
 3 "Haec, a me, geminum Nessum stravere venena
 4 missa a te, Alciden Deianira tuum.
 5 Sic neque quem alterius validi potuere lacerti
 6 sternere, sanguineo nec ferus ense deus.
 7 Quae Lybicos quondam potuit domuisse leones,
 8 Alcidae Alciden non nisi dextra domat."

IDEM DE SE

E2_25 v.1 Non leo, taurus, aper, pastor, Busiris, Echidna,
 2 non Thrax, Augeas, cerva, aurea poma, volucres,
 3 Partheniumve nemus, Stygii non janitor antri,
 4 Evandrive hostis, caelatus baltheus, Elis,
 5 Centaurive alacres, neque vasti pondera caeli
 6 vincere me poterant. Cataphractum vicit inermis
 7 femina ter, ternisque dolis triplicique figura,
 8 Juno, Iole, Althaeis, dea, pellex, sponsa relicta :
 9 diva labore, toro pellex, et munere sponsa.

ADHUC

E2_26 v.1 Hostes Juno dedit, sed Amor subjecit amicae.
 2 Intereo donis, Deianira, tuis.

CONTRARIUM

E2_27 v.1 Nomen Juno dedit, sed Amor subjecit amicam,
 2 vivo deus donis, Deianira, tuis.

IN CHEROSTRATUM, SENEM PODAGRICUM

E2_28 v.1 Scripserat heredem sibi me Cherostratus, ille
 2 cujus in articulis dura podagra latet.
 3 Dumque inhiat loculis, dum testamenta resignat,
 4 "Haec," ait, "arbitrio jugera lata tuo
 5 subdimus, et terris dominum te dicimus illis.
 6 Fac modo consilii sit tibi cura mei.
 7 Fac quicquid jubeam ne latum excesseris unguem,
 8 at totum arbitrio te dabis usque meo."
 9 Dure senex, ego sic semper tua jura capessam ?
 10 Subdam ego servitio libera colla tuo ?
 11 Non ita : quaere alios cui testamenta resignes.
 12 Hac emo non curas condicione tuas.

IOANNI GRAEMO, COMITI MONTISROSARUM

E2_29 v.1 Si virtus tua, ter trium sororum
 2 merae deliciae, meri lepores,
 3 si mens Orchomeni domus puellis,
 4 si pectus penetrabile tot sophorum,
 5 si sanguis proavum, tuaeque gentis
 6 splendores titulique tanti honorum,
 7 humano veniant sonanda plectro,
 8 si curtis epigrammatumve gyris,
 9 laudum jam merita ampla tot tuarum
 10 claudi lege queant, quis invideret
 11 istam mi improbulus beatitatem,
 12 te, tuumque simul perenne nomen,
 13 princeps Graemiadum, decusque solum,
 14 ad caelum lepido vocare versu ?

15 Verum cum ingenii mei hoc neget sors,
 16 et lex Bilbilitanae idem Thaliae
 17 volentem vetet, hoc tamen superstat
 18 (quod solum licet) : admovebo labris
 19 tacentem digitum, et diu silendo
 20 muti me Harpocratis dabo sodalem.

VENUS FICTA

E2_30 v.1 Dum Venerem Getico Mars fessus pulvere cernit,
 2 flexit equos, curru desiluitque suo.
 3 Et "Quid," ait "Cytherea, nocet nova bella ciere ? "
 4 "Sed non inventa," risit acerba, "dea."

NARCISSUS IN TABULA PICTUS

E2_31 v.1 Illud erat quod tu prius, o Narcisse, peristi,
 2 necdum etiam a liquidis ora movebis aquis ?

IN GRAMMATICUM UXORI PULCHERRIMAE OB FURTA THORI INFENSUM

E2_32 v.1 O facinus ! Tantaе nil prodest gratia formae ?
 2 Nil bene conspicuo qui decor ore nitet ?
 3 Quaeque valent supera traxisse e sede tonantem,
 4 blaesula sub roseis condita verba labris ?
 5 Dure vir o nimium, Lernaea saevior hydra,
 6 verberibus dominae non nisi note tuae.
 7 Si tua forte aliquis fixisset membra Priapus,
 8 fixissent dominam non aliena tuam.

IN ATLANTEM IURIDICUM, AD IMITATIONEM PALLADAE

E2_33 v.1 Qui modo causidicus, qui causidico minor ibas,
 2 quis te iuridicum perfide fecit Atla ?
 3 Non bene serva prius, vultum componet herilem,
 4 nec meretrix, sponsi casta futura toro.
 5 Nec bene contemnet male olentia stercora porcus,
 6 esse licet pomis, glande queatque satur.
 7 Serva suas sordes tamen, et lupa, susque relinquent,
 8 numquam e causidico aut rhetore iuridicus.

EXTREMA LEANDRI AD VENEREM ET CUPIDINEM VERBA

E2_34 v.1 Hellespontiacis fessus Leander in undis
 2 has fudit Veneri supplice voce preces.
 3 "Diva Venus, generata salo, succurre cadenti,
 4 si tibi cum vitrio gratia tanta deo.
 5 At si nulla, urit tua quid divosque hominesque
 6 si non et liquidas flamma perurit aquas ?"

HERO SE PRAECIPITEM DE TURRI IN HELLESPONTO DATURA

E2_35 v.1 Vidit ut aequoreis absorptum Sestias undis
 2 Leandrum, rapido ludibrium ire freto,
 3 ter pectus nitidis, quater et percussa lacertis,
 4 vulsa comas, roseas et laniata genas,
 5 ascensu summi superat fastigia tecti,
 6 praeceps in liquidas desiluitque vias.
 7 At prius haec : "Quia sum tua castra secuta, Cupido,
 8 da, quicum haud potui vivere, posse mori."

NUTRIX, HERUS CINERES URNA CONDENS

E2_36 v.1 Triste Herus cineres nutrix dum conderet urna
 2 fudisse hos tremulo dicitur ore sonos :
 3 "A pelago, a pelago moneo discedite, amantes,
 4 nec posthac liquidis credite multa vadis.
 5 Orta mari Venus est, fateor, sed quid juvat istud,
 6 imperet aequoreis cum deus alter aquis ?"

GULIELMI TURING FOVERANGII,
 DIE POST NUPTIAS CELEBRATIS MORTUI, MEMORIAE

E2_37 v.1 Ecce jacet proavos, atavos, interque parentes
 2 Turingus, gentis spesque decusque suae.
 3 Cui dum intentat Amor jaculum, mors saeva pepercit,
 4 scilicet ut telis perderet ipsa suis.

ROBERTO DUNBARO MORAVIENSI, PRAECEPTORI QUONDAM SUO IN PHILOSOPHICIS

E2_38 v.1 Dogmata qui sophiae primus mihi pura dedisti,
 2 docta Stagiritae dum colo scripta senis,
 3 consule nunc cui me studio, Dunbare, sacro,
 4 aut vitae insistam quod melioris iter.
 5 Ars tua philosophum fecit, natura poetam.
 6 Nunc mihi ab alterutro nil nisi dira fames.
 7 "Quin age, theiologus, medicus, jurisve peritus
 8 sis," ais. "Horum omnes arca flagellat opes."
 9 Sed mihi non animas, non corpora laedere cordi,
 10 litibus implicitum nec juvat ire foras.
 11 Ergo famem haud poteris humeris depellere, reddis
 12 sat, Dunbari mihi, si modo ventre abigam.
 13 "Nec sic ventre abiges, inquis, fallare, necesse est."
 14 Nam mihi adhuc superest terna ineunda via.
 15 Si neque theiologus, medicus, jurisve peritus,
 16 morio, vel palpo, vel citharaedus ero.

VENUS ET PALLAS

E2_39 v.1 Cyprida Cecropias <vidit> quae protegit arces
 2 ad speculum flavas ponere lege comas
 3 viderat, et "Nulla comptis, ait, arte capillis,
 4 sat poteris Getico, diva, placere deo."

5 Cui Venus : "Ast omni positis tu lege capillis
6 vix homini poteris, ne placuisse deo."

UNDE DUCATUR VIRGO, AD SPONSUM AULUM

E2_40 v.1 Unde suum virgo ducat nomenque genusque
2 inter grammaticas quaeritur, Aule, tribus.
3 Res dubia est, an de virtute, an forte vigore,
4 an sit ab ingenuo virgo vocanda viro.
5 Res dubia est, at te tanta haec sub iudice lis est,
6 et stat ab arbitrio causa caditque tuo.
7 Debita nam tentae dederis modo gaudia virgae,
8 fors potis a virga virgo venire tua.

IN PRISCILLAM

E2_41 v.1 Debebam tibi millies trecentas
2 post haec proelia basiationes,
3 post haec proelia queis Venus superbit,
4 ignavumque suum vocat Gradivum,
5 cum tu vulgivaga, impudica, mendax,
6 numquam sobria, moecha defututa,
7 proscisso male me, foro, tabernis,
8 popinis simul et nigris culinibus,
9 aspersti maculam tibi perennem.
10 Tum per compita cuncta, pota, potum,
11 illam tu caligam, merumque piscem,
12 Maxmini caligam, sequuta pergis,
13 qui numquam prius arriget, nisi ante
14 cedatur bene vapuletque virgis,
15 ut tentigine languida laboret.
16 Quare haec propter - et illa, et illa, et illa,
17 quo referre probum pudet poetam ;
18 pelli vulgivaga, impudica, mendax,
19 numquam sobria, defutata moecha,
20 proscindam male te impotente iambo,
21 saevo, terrifico, crucem minante.
22 Nec umquam saturum inde cor futurum est,
23 dum me amplexibus insitum puellae,
24 calentem aspicias novo calore,
25 amico, placido, integro, benigno,
26 et rumpere malo et crepes dolore,
27 semper vulgivaga, impudica mendax,
28 numquam sobria, moecha defutata.

PHAEDRAE EPITAPHIUM

E2_42 v.1 Ecce hic, Dictaei soboles suspecta tyranni
2 Phaedra, at Pasiphaes filia vera jacet,
3 quae pariter sobolem patris, sobolisque parentem
4 arsit, et hic pariter compos et impos erat.

5 Credita casta satis, cuperet cum incesta fuisse,
 6 creditus incestus cum male castus erat,
 7 et juveni et malefida seni, natoque patrique,
 8 hoc meruit juvenis quo periisse modo.

THOMAS RHAEDO, REGI IN GRAECIS ET LATINIS A SECRETIS

E2_43 v.1 Esse quid hoc dicam ? Niger et non, candidus et non.
 2 Attamen es nobis candidus, et niger es.
 3 Quid vis esse, precor ? Neutrumque et utrumque videris
 4 dimidiusque albus, dimidiusque niger.
 5 Crine, oculis, vultuque niger, niger ore, sed illa
 6 vincitur ingenio forma maligna tuo.
 7 Si vis esse aliquid, formosam ducito sponsam,
 8 quae bona, sed rerum cum bonitate potens.
 9 Eveniant, mi Rhaede, habeasque ex conjugate natos
 10 dimidiosque albos, dimidiosque nigros.

DE CHLORI PUELLA ET ARNO MEDICO AMATORE

E2_44 v.1 Chlorin, delicias suas, amator
 2 visebat medicus toro jacentem,
 3 clysteresque duos parans et una
 4 gementes removens procul parentes.
 5 "Ne tu haec, ne metuas, puella," dixit.
 6 "Clysterem dabo namque quo dolores,
 7 istas tristitias, malasque curas
 8 qualescumque ita fortiter fugabo,
 9 ut nec Paeoniae manus levarent,
 10 nec Phoebi melius nepos Machaon.
 11 Parebis modo, si meisque totam
 12 jussis te dederis." Subinde lectum
 13 nudus deposita petens lacerna,
 14 et Chlorin subigens, prius virentem
 15 florem virgineae rapit juventae,
 16 blandum palpitat, improbumque figit
 17 mille vulnera basiationes,
 18 mille basia, vulnerationes.
 19 Donec, vulneribus satis Priapum
 20 fessum, sistere jusserat Dione.
 21 Tum demum rogat, "Ut vales, puella ? "
 22 Cui Chloris breviter, "Valebo," reddit,
 23 "clysterem mihi si dabis secundum."

IN TRACTATUM THEORETICUM ET PRACTICUM IOANNIS MACALONIS
 DOCTORIS MEDICI REGII DE LUE VENEREA

E2_45 v.1 Forte Venus Paphia paulum requieverat umbra,
 2 et comitem aligerum jusserat esse deum.
 3 Affuit et Phoebos nymphaque Coronide natus.

4 affuit et Clarii praeses Apollo chori,
 5 cum subito motis ales Cythereius alis
 6 avolat, et matrem deseruitque deos.
 7 Ingemuit pater Aonius, Venus aurea risit,
 8 conticuit natus, nympa Coroni, tuus.
 9 Diva rogat gemitus causam tacitique doloris,
 10 cui deus amota blandus Apollo lyra,
 11 "Scis quod, diva, rogas : puer hic tuus omnia turbat,
 12 teque ferox jaculis meque patremque petit."
 13 Haec pater, at natus : "Non ille," ait, "omnia turbat.
 14 Pars Venus <istius> et cepit at esse mali.
 15 Namque lue horrenda mortalia corpora nuper
 16 cepit et ignotis excruciare modis.
 17 Nec spes magna opis est medicae, sed marcida tabes
 18 vincit, et exsuperat fortior usque manus."
 19 Cui pater : "Hanc depone oro, nate optime, curam,
 20 provisum est tanto scilicet ante malo.
 21 Namque mali Macalo superat quodcumque revellet,
 22 ille meus Macalo, nec minus ille tuus.
 23 Hei mihi ! Sed morbos potus est qui vincere matris,
 24 cur non et pueri vim superare dei ? "

IN ALEXANDRI ANDERSONI ABREDONENSIS EXCERTATIONES MATHEMATICAS

E2_46 v.1 Ista mathematicae jam respirantis imago.
 2 Dicite io, gentes, et bona vina date.
 3 Dicite io, gentes, posita quas Gorgone Pallas
 4 dirigit in curas ingeniosa suas.
 5 Quis tamen o divum superas revocavit in oras ?
 6 Quis tulit afflictatae spemque manumque deae ?
 7 Certe illam modo barbaries invisata premebat,
 8 et prope fatali condiderat tumulo,
 9 membra eluxatam, foedatam turpiter ora,
 10 et nulla similem denique parte sibi.
 11 Cui desperatae licuit promittere vires ?
 12 Vulnere qua poterant tanta coire manu ?
 13 Muneris, Andersone, tui hoc totum illicet unus
 14 tu Phoebus laesae Phylliridesque deae.
 15 Saepe homini poterant divique hominesque salutem,
 16 te prior hanc ipsis sed dare nemo diis.

QUANDO UXOR DUCENDA

E2_47 v.1 Primae si tibi flos viret juventae,
 2 adhuc ne thalamo cubes jugali.
 3 Sin instat senium, jubet senectus
 4 posthac ne thalamo cubes jugali.
 5 Hinc, si consilium meum capessas,
 6 ducas cum juvenis senexque non sis,
 7 sed simul invenis senexque sponsam.

APOLLO ET CUPIDO

E2_48 v.1 Surripuit puero Phoebus duo spicula Amori.
 2 Surripuit Phoebus spicula bina puer.
 3 Sumpsit uterque arcum, cornu sinuavit uterque,
 4 misit et e nervo spicula uterque suo.
 5 Ictus Apollo gemit, puer auxerat igne sagittas,
 6 sed nocuit domino nil sua flamma suo.

THOMAE MORAVIO, CAROLO PRINCIPI A SECRETIS

E2_49 v.1 Si licet, et fas est, magni cui tradita cura
 2 Principis, optatae sume salutis ave.
 3 Sed licet, et fas est. Neque enim huc me audacia praeceps
 4 egit, at ingenuo corde moratus amor.
 5 Fas, licitumque facit, voluit quodcumque Cupido.
 6 Fas det amicitiae nomen inire tuae.
 7 Hoc Moravi dederis, crescet meus ignis, et haud te
 8 igne magis puro purus amabit amor.

GUILIELMO DRUMMONDO AB HATHORDEN

E2_50 v.1 Cum tu animae quota magna meae sis portio, cumque
 2 o Drummonde, animae pars ego tanta tuae,
 3 sume tuum, vel redde meum. Sic solus uterque,
 4 me sine tu fueris, te sine liber ego.
 5 Te sine liber ego ? Sine te qui vivere possem,
 6 expers ingenii iudiciiue mei ?
 7 Quare prius redeat, redivivus morte resurgam,
 8 iudicii compos, compos et ingenii.

AD LYCIUM

E2_51 v.1 Saepe, Lyci, rogitas lecto quae digna jugali,
 2 conveniat taedis quae mage nympha tuis.
 3 Magna petis, fateor. Facile est optasse, sed illud
 4 plus erit, e votis multa tulisse meis.
 5 Si tamen optanti faveat fortuna poetae,
 6 hanc cupiam thalamo consociasse tuo.
 7 Hanc pete, Sithonium quae nec superare nitorem,
 8 nec poterit rubras vincere rubra rosas.
 9 Laeta magis placeat, pia, blandula, casta, modesta.
 10 Sit facilis : facilem nolo sed usque meam.
 11 Sit generosa, operosa, humilis, dotata, petita.
 12 Sit similis genio, si queat esse, tuo.
 13 Multa loquens valeat, multum taciturna molesta est.
 14 Docta gravis, nimium rustica nulla placet.
 15 Praecipue videas, genetrix quae, qualis habetur.
 16 Et num signato corpore virgo siet.
 17 Denique quaecumque est, medium servabis, et isto
 18 gratus eris nymphae, grataque nympha tibi.

IN AULUM SACRILEGUM

E2_52 v.1 Nonne satis veterum quod tot decora alta parentum
 2 diruta nobilium tot monumenta jacent,
 3 et despecta trahunt tristem modo templa ruinam,
 4 rudera nunc ipso squalidiora situ,
 5 sacratas ni etiam decimas Christo quoque dictas
 6 pectore sacrilego tollat avara manus ?
 7 Sed quo haec ? Ut fassis Christum modo et hospita Musis,
 8 hospita tot miseris pauperibusque domus,
 9 aule, tuae indoctae pateat turbaeque profanae,
 10 hancque eques obscura nobilitate colas.
 11 Prohque nefas, docto pro casto et paupere, alatur
 12 palpo, canis, meretrix, nisus adulter, equus.

AUSER SOLANUS, VULGO SOLENGOUSE

E2_53 v.1 Scotia solanum patrio me nomine dicit,
 2 miraculum pisces inter avesque feror.
 3 Et tibi, seu pinguis, seu sim pinguedo vocanda,
 4 non ultra triduum servor ab arte coqui.
 5 Nec bene me abscissa comedit nisi coccyge quisquam,
 6 et male praestanti digeret absque mero.
 7 Talem Maeonides si me olim nosset, abissem
 8 inter pennigeras rex, Scotus anser, aves.

DE FAUSTO MOLITORE ET HYELLA

E2_54 v.1 Increpat uxorem gravius dum Faustus Hyellam,
 2 Faustus flumineae cui data cura molae,
 3 atque : "Tuas quam <tarde> nostras res agis" inquit,
 4 segnis et in tota desidiosa domo."
 5 Callida sic conjux : "Mihi raro si molis," infert,
 6 "fas, Fauste, assiduo me moluisse tibi ?"

IN POETAS GALLOS QUI DE PULICE RUPPELLAE ET PASCHASII STATUA
 MANIBUS TRUNCATA LUSERUNT

E2_55 v.1 Cirrha prius, semperque virens Parnassus, et una
 2 vates Castaliae reddidit haustus aquae.
 3 Cyrrha silet, mutique tacent Parnassus et unda,
 4 cum vates pulex jam det, et esse manus.

DE IISDEM

E2_56 v.1 Causidici queis trunca manus pulexque puellae
 2 materies comptis versibus una fuit ;
 3 vosne ego Phoebigenas, an de re forte vocabo
 4 pulici-rupigenas, et manu-truncigenas ?

DE IISDEM ADHUC

E2_57 v.1 Quid mihi cum Phoebos ? Quid cum Permessidos unda ?
 2 Quid mihi cum natis, Mnemosynia, tuis ?
 3 Paschasius Phoebus, genetrix, Rupella, dearum,

4 ipsae nunc Musae, credite, sunt pulices.

DE PIO NASUTO PROCO

E2_58 v.1 Forte Pius, placidae correptus amore puellae,
 2 legitimum coepit sollicitare torum.
 3 Venit Hymen, nasus cito conciliavit amicam.
 4 Quantus erat rogitas ? Sesquipedalis erat.
 5 Credidit illa etenim (ah durum hoc praescire puellis)
 6 cetera quae vestis contegat huic paria.
 7 At postquam brevius quod longius esse volebat
 8 sensit et in justo pondus abesse loco,
 9 ingemuit, lachrimasque dedit, cum murmure tali :
 10 "Dii tibi, qui poteras, nase, nocere mihi."

IN LUCIUM

E2_59 v.1 Scis, paterisque alios uxorem accedere, Luci,
 2 namque fuit quaestus maximus inde tibi.
 3 Unum tu prohibes Lycium, quem deperit unum,
 4 et quem plus oculis diligis illa suis.
 5 Et tamen, hic molitor minus omnibus audiit esse,
 6 sed magis qui quaestu teque tuamque juvet.
 7 Leno tuae nuptae turpissime, diligat aut fac
 8 Lucia non Lycium, Lucius aut Lycium.

IN POSTHUMUM

E2_60 v.1 Tenderet ad solitos dum, qua via prima, penates,
 2 Ogygio madidus Posthumus ante deo,
 3 illis saxo cerebrum furiosus acuto,
 4 et crudi evomuit flumina pota meri.
 5 Quid miser ah voluit ? Quae tanti causa furoris ?
 6 Scilicet ut fronte cornua discuteret.

DE PICTORE DIABOLUM SUB ELEGANTI FORMA PINGENTE, EX AREOSTI SATYRIS

E2_61 v.1 Ora Acheronto pictor formosa tyranno
 2 fecerat, et fronti cornua non dederat.
 3 At deus, alba suos peragit dum Cynthia cursus,
 4 qualis erat pictus, visus adesse viro.
 5 Atque : "Ita ne facti pereat tibi gratia tanti,
 6 me pete quae cupias, me tribuente feres."
 7 Cui pictor : "Si tanta petes, da fida marito
 8 perstet, et in thalamo nupta pudica meo."
 9 "Magna petis," reddit, "nulli concessa priorum.
 10 Accipe at hoc fieri qui ratione velim.
 11 Annulus hic maneat digito tibi ubique, nec ullus
 12 uxoris poterit sollicitare fidem."
 13 Somnus abit, digitum femur aspicit inter utrumque
 14 conjugis. O dignos daemonis arte jocos !

PICTORIS ELUSI VERBA

E2_62 v.1 Dum miser evigilat, promissaque munera somni
 2 credidit haud variam pictor habere fidem,
 3 conjugis inter utrumque femur digitum videt, illic
 4 qua latet occultis Cypria blanda locis.
 5 Dehinc ita suspirans : "Libertas sit sua cunno,
 6 ulterius Stygius non potis ire deus.

IN TABULAM PICTORIS AREOSTINI

E2_63 v.1 Cornua cur Stygii pictor de fronte tyranni
 2 abstulerat ? Similem noluit esse sibi.

ARRATI GULOSISSIMI EPITAPHIUM

E2_64 v.1 Arratus jacet hic. Sentit si forte, viator,
 2 i fuge, eris tantae tu quoque praeda gulae.
 3 Quod si non sentit, plus quondam senserat aequo,
 4 Herculei fugias vel monumenta rogi.

IN DISJUNCTOS VATI ET ARRATI TUMULOS

E2_65 v.1 Quam bene, quod natura pares non esse volebat,
 2 vespillo variis condidit in tumulis.
 3 Nam si junca forent gemini duo fulmina ventris,
 4 terra foret rapidis obruta fors an aquis.

ARCTURO IHONSTONI D. MEDICO, POETAE LAUREATO

E2_66 v.1 Carmina queis dominae castos sacravimus ignes,
 2 carmina quae Teiis lusimus in fidibus,
 3 carmina, quae Lycidas in agris, Melisaeus in antro
 4 ad pastas pecudes surdave saxa canit,
 5 carmina queis Boream Chloris, nemora avia Iolas
 6 affatur, Paphiis tactus arundinibus,
 7 carmina quae semper nugas et vana loquuntur,
 8 et cum melle jocos, et sine felle sales,
 9 commendo, Jhonstone, tibi. Tu necte soluta,
 10 collige sparsa, aufer vana, superba doma.
 11 Quid deceat, quid non, cautis circumspice ocellis.
 12 Nam mihi tu nasi solus acumen habes.
 13 Talis odoratu sensisti onopordon ab umbris
 14 quam Stygis nostros visere coepit "Onous".
 15 Quem, quia sic impune omnes demisit in Orcum,
 16 fac velit ad Stygias ipse redire domos
 17 ut, si Phoebea tantus sit in arte, furorum
 18 vel tres tollat anus, vel cito reddat "Onous".

IN QUATUOR BATAVOS POETAS

E2_67 v.1 Ite alii, mihi sat Batavo de litore cygni
 2 quatuor, Aonii gloria rara chori.
 3 Baudius hic est blandiloquus, suavisque Secundus,
 4 Grotius hic doctus, Heinsius hic tener est.
 5 Baudius est Peitho, tua basia, Cypri, Secundus.
 6 Heinsius est Erato, Grotius ipsa Charis.
 7 Baudius est lingua, et Musarum labra Secundus.
 8 Heinsius est oculi, Grotius inde genae.
 9 Felices ! ego suspicio sublime cacumen,
 10 et veneror Pindi qui tenuere jugum.
 11 Vos tamen ante alios, Batavo de litore vates,
 12 sive pares placuit, seu minus ire pares.

THOMAE VOLUSENO I. C.

E2_68 v.1 Gente tibi an Volusum nomen, Volusene, dictum
 2 an quia pura petas, nec nisi sana velis ?
 3 An potius Graia traxisti ab origine nomen
 4 quod Graium et Scotum, forsitan et Ausonium ?
 5 Ut, qui nunc noster, Volusene, teneris amicus,
 6 aut "bolos Ainos" eas, aut "olos Ainos" eas.

TROJA

E2_69 v.1 Quisquis ades nostraeque vides exempla ruinae,
 2 et versa iratis moenia tanta diis,
 3 disce nec alterius genium contemnere lecti,
 4 nec trahere in medium pocula plena diem.
 5 Troja Asiae regina fui, Europaeque labores,
 6 fors merui aeterno stare superba loco,
 7 si neque Tyndaridos facies mihi nota fuisset,
 8 nec qui pampinea tempora fronte tegit.
 9 Tu sine veste, Dione, et tu sine veste, Lyaeae,
 10 a vestris cecidi Troia nuda dolis.

ADHUC

E2_70 v.1 Qui nudam Bacchus stravit, nudamque Dione,
 2 quaeritis ? Haec nervos sustulit, ille pedes.

HELENAE EPITAPHIUM

E2_71 v.1 Candida formosae jacet ecce hic filia Ladae,
 2 edita nympa solo, credita digna polo.
 3 Digna polo, si digna polo ; quae sanguine solo
 4 nota solo fuerat, sanguine nota salo.
 5 Dira lues Phrygiae, pelago labor, arma Pelasgo,
 6 caede nociva solo, clade notata salo.
 7 Nupta tribus, bis rapta, tribus viduata maritis,
 8 saepe petita solo, saepe petita salo.
 9 Denique fax juvenum, procerum nex, nox Phrygiorum,
 10 una soli atque sali, perniciesque poli.

IN CELURCAM, VULGO MONTIROSAM, NATALEM SUAM URBEM

E2_72 v.1 Carmina Pieriae dictent mihi blanda puellae,
 2 et Phoebus numeros donet habere suos.
 3 At neque Pieriae mage te, Celurca, puellae,
 4 aut decoret numeris Delius ipse suis.
 5 Certat ubique deus, tibi dat sua munera Flora,
 6 et vario aequalem gramine pingit humum.
 7 Farre, Ceres, flavos spicis redimita capillos,
 8 circumdat larga moenia tuta manu.
 9 Addit opes pelagi domitor, populumque benignus
 10 sustinet, et vitreis dives inaurat aquis.
 11 Flora, Ceres, Nereus decorat, circumdat, inaurat
 12 terram, urbem, populum gramine, farre, bonis.

IN POSTHUMI UXOREM STERILEM

E2_73 v.1 Nulla tibi quereris quod sit de conjuge proles
 2 praeter amicitias, nomina multa, tuas.
 3 Hoc satis est, culpam dixti, culpaque parentes.
 4 Non solet in trita surgere gramen humo.

DOMUS REGIA, AD EXCIPIENDOS LEGATOS EXTEROS CONVIVIIS EXSTRUCTA,

E2_74 v.1 Hic ubi tecta novo surgunt regalia saxo
 2 felices epulas exhibitura deum,
 3 Mulciber ignipotens momento temporis omnia
 4 in tenues fumos jusserat ire prius.
 5 Illa quidem imbriferumque Notum rapidumque Aquilonem
 6 et metuere iras, Lemnie claude, tuas.
 7 Nunc omnes ridet furias, satis auspice utroque,
 8 patre Jove et nato tuta futura Ione.

IN DISSIDIA ZELOTYPORUM CONJUGUM

E2_75 v.1 Dicite, dissidio junctissima pectora solo
 2 digne alia, atque alio tu quoque digna viro,
 3 quae vos exagitat tantum discordia, quo tu
 4 improba sis dictis, tu metuende minis ?
 5 Quid tu tam cupido circumspicis omnia ocello,
 6 improbe, fors oculis non adeunda tuis ?
 7 Quid tantum inquiris domini tu in facta mariti,
 8 auribus et patulis credula cuncta rapis ?
 9 Hi mores, lites, et inania jurgia ponunt,
 10 et nova zelotypae dant alimenta faci.
 11 Sit pudor, utque novo nova sit concordia lecto,
 12 surda dehinc mage tu, tu mage caecus eas.

IN FLACCUM POETAM

E2_76 v.1 Exsulat e numeris Venerum tibi turba jocosa,
 2 suntque procul vanis ebria verba jocos.
 3 Sic tibi, Flacce, gravis, sic, Flacce, severus haberis,
 4 stultius at nihil est hac gravitate tua.
 5 Dum neque sal neque mel, tibi dum neque fellis amaror,
 6 ponderibus gravitas orba stat illa suis.

IN CALVUM, AD PICTOREM

E2_77 v.1 Ora, manus tabula, pictor, si pingis in illa,
 2 de numeris poteris cetera scire meis.
 3 Osseus, indocilis, timidus, furiosus, egenus,
 4 turgidus, infelix, dirus, avarus, iners,
 5 barrum, asinum, lepores, furias, Irumque relinquit,
 6 Thersitem, Priamum, noctuam, apem, cuculum.

HELENA POETIS

E2_78 v.1 Cur mihi Pierii tantum nocuistis alumni ?
 2 Cur ruis in poenas totus, Apollo, meas ?
 3 An quod amor rapidis violavit viscera flammis ?
 4 Inter vos teneri lusor amoris erat.
 5 An quod in arma viros speciosae munere formae
 6 movimus, et Phrygium fodimus ense latus ?
 7 Ni sic nota forem, numquam sic notus Homerus.
 8 Quod vivat, natibus debeat ille meis.

GODEFREDI HAGEN MIDELBURGOZELANDI TUMULUS

E2_79 v.1 Niobe quiescit tecta membra marmore,
 2 nec fata prolis amplius gemit suae.
 3 Non ille magnus qui exprimi potest dolor.
 4 Stupet alta cura. Vos dolete quos movet
 5 aetasque verna, visque vivida ingeni,
 6 moresque lacte puriores aut nive
 7 Dum fila vitae nulla rupit Atropos.
 8 Vos in benigno, patrio si non solo,
 9 qua torvus undis Nerei Bodotria
 10 miscere sese pergit, Hagenum cito
 11 lugete raptum vulnere infidae deae
 12 quae pauperi aequat divitem, et bonum malo.
 13 Lugete vos haec, quos minor coquit dolor.
 14 At ego, dolorum quem gravant tot agmina,
 15 luctusque totis saevit in praecordiis,
 16 Non mira quod non hic fleam. Nam qui potest
 17 lacrimare fletus, flere maesta lacrima ?

IN REGEM ET PRINCIPEM,
 DIE APRILI, QUO SE PERISCELIDIS EQUITES OSTENTANT

E2_80 v.1 Luce sacra, clari colitur qua fama Georgii,
 2 qui nomen domito grande dracone tulit,

3 forte periscelidis celebris convenerat ordo,
 4 ut festum sacris duceret ipse diem.
 5 Illic qui Tamisis famulis pater imperat undis,
 6 illic tam magni Carlus imago patris.
 7 Majestas decuit cunctos, faciesque decora,
 8 visa ipsis fuerat quae bene digna diis
 9 sed cunctos rapuit Tamisaeae Jupiter orae,
 10 et cunctos tanti Carlus imago patris.
 11 Fulgebant pariter, gemmisque auroque superbi,
 12 oris ut ambigeres cui prior esset honos.
 13 Ut si quis geminos componat, diceret : "Hic si
 14 Lucifer haud fieret, Phosphorus ille foret."

IN NUPTIAS JACOBI HAYI VICECOMITIS DUNCASTRII
 ET D. PERSIAE COMITIS NORTHUMBRII FILIAE

E2_81 v.1 Pectora Persiae Tritonia, Delia mores,
 2 egregium formae Cypria diva decus,
 3 Tres sua quaeque deae finxerunt. Pronuba risit,
 4 et simul haec : "Hayo digna ea virga meo."
 5 Nec mora, et aligerum compellat blanda puellum
 6 cui tela et pharetrae cura, levesque faces.
 7 Atque ita : "Da parili duo pectora ab igne calescant."
 8 Illa simul digito monstrat utrumque dea.
 9 Paret Amor jussis, humeris levat inde pharetram.
 10 Aureaque e pharetra spicula bina jacit.
 11 Persensere simul defixae cupidis ictus,
 12 ingemuere simul : incaluere simul.
 13 Tum deus ex alto geminos miseratus Olympo
 14 foedera conjugii mutua sanxit Hymen.
 15 Casta licet, thalamos Pallas non fugit amicos,
 16 nec genetrix Paphii diva Erycina dei.
 17 Unica, virgineum solvi indignata pudorem,
 18 ad silvas abiit Delia pulsa suas.
 19 At tibi, si scelus est unam depellere, sponse,
 20 laus thalamis geminas consociasse deas.

IN CALVUM

E2_82 v.1 Quid dicam ? Neque forma viri, neque forma puellae,
 2 mole nec es totus bellua corporea.
 3 Quidnam igitur ? Si quae fieri mutatio posset,
 4 mole fores totus bellua corporea.
 5 Cornua qui dederit, dabit et bovis ille figuram.
 6 Ille asinum, longas qui dabit auriculas.
 7 Si pennas habeas, bubo volitabis in umbris,
 8 si caudam, subito cercopithecus eris.
 9 Si quadrupes fieres, poteris bene barrus haberi,
 10 et dare terribiles osseus ore sonos.
 11 Cornua da, auriculas, pennas, caudamque pedesque,
 12 bos, asinus, bubo, simia, barrus eris.

IN CARINUM, ARTIUM MAGISTRUM

E2_83 v.1 Magister est Carinus, et quid hoc mali ?
 2 Bonusque sat Carinus, et quid hoc mali ?
 3 Sed dum magister et bonus Carinus est,
 4 magister est Carinus optimus mali.

IN VARUM PODAGRICUM

E2_84 v.1 Distortis male cruribus laborans
 2 nodosam miser induit podagram
 3 fani pernicies forique Varus.
 4 Unus Cerbereas tamen sagittas
 5 dura cote acuit, malumque linguae
 6 virus ejaculatur. O deorum
 7 quisquis, haec oculis tueris aequis ?
 8 Aut ipsum obrue tam mala podagra,
 9 aut linguam hac podagra malam coerce.

AD LECTOREM, DE SUIS EPIGRAMMATIS

E2_85 v.1 Scripsimus, at scriptos maneant quae fata libellos
 2 pendet ab arbitrio, lector amice, tuo.
 3 Velle suum cuique est. Alius floralia poscit,
 4 huic gravia arrident, quaerit at ille sales.
 5 Quisquis nostra leget, non indonatus abibit,
 6 seu juvenis, seu vir, sive erit ille senex.
 7 Laeta magis juvenis, quicquid grave Nestor habebit.
 8 Debetur quicquid non sine felle viro.
 9 Sic ego dissimulo diverso Protea vultu,
 10 et repeto formas versus ubique novas.
 11 Talis erit quicumque epigrammata vivida scribet,
 12 idem si fuerit semper, inermis erit.
 13 Lectoris genium petit ingeniumque libellus
 14 ut genio vivat ingenioque suo.

.../...

EPIGRAMMATUM LIBER TERTIUS

AD MUSAM SUAM

E3_1 v.1 Lude alios, sapiens ego nunc piscator ab ictu :
 2 ad tua non adiges saxa referre pedem.
 3 Certa etenim, jucunda etenim, sed plena laborum,
 4 atque ingrata nimis semita, Musa, tua est.
 5 Hoc mihi post tot damna licet nunc denique scire,
 6 seraque sese oculis dat metanoea meis.
 7 Cur mihi fas numquam fastus regumque ducumque
 8 scire prius, numeros quam cecinisse novos ?
 9 Ecquid ad Arcadicas indocti praesulis aures
 10 nequicquam potuit nostra sonare chelys ?
 11 Et labor et pudor est, et facti ingrati, stare
 12 et nubem obducti ferre supercilii.
 13 Haec qui ferre potest, tota illi cornea fibra est,
 14 et nihil in laeva parte mamilla salit.
 15 Et tamen ipse tuli, cum spe nutritus inani
 16 penderem vacuas Tantalus inter aquas.
 17 Viderit at talem qui me modo, pinguis cernat
 18 fracta, precor, cunctis guttura praesulibus.

D. ROBERTO CARO ANCRUMIO EQUITI, CAROLO PRINCIPI A CUBICULIS INTIMIS

E3_2 v.1 Non ego nobilium venio mirator honorum,
 2 aucuper ut numeris nomina magna meis.
 3 Ille etenim proceres, et inania, nomina Care,
 4 cui stirpe collata trita lacerna canat.
 5 Mi non difficilem satis invenisse patronum :
 6 et pectus solido quod sit amore meum.
 7 Sit, tu uti, Mecaenas facilis ; sit fidus amicus,
 8 et laudet magnos, qui velit esse, viros.

CAROLI PRINCIPIS HASTILUDIUM MART.

E3_3 v.1 Jactabat toto Mavors sua proelia caelo,
 2 et dedit Oetaeo qui sua membra rogo,
 3 Castor equos cum fratre pio caestusque ferebat.
 4 Haec quoque cum reliquis lis fuit ipsa diis,
 5 cum subito assumpta Tritonia Gorgone Pallas
 6 edidit ante patrem talia verba Jovem :
 7 "Vires, arma, et equi, superis si gloria, Carlo
 8 si ingenium, cedam dotibus ipsa meis."

DE GRANDINE, EODEM AD HASTILUDIUM PROGREDIENTE, AFFATIM CADENTE

E3_4 v.1 Indutus thoraca humeros, galeaque verendus,
 2 altera spes nostri, Carolus, una soli
 3 ibat ut oblatis hosti concurreret hastis.
 4 Presserat et dudum terga ferocis equi,
 5 aethere cum subito grando crepitante procella
 6 decidit in vultus principis, inque sinus.
 7 Ille sed, hinc Jovis aspiciens placida ora Britanni,
 8 Latona hinc geniti lumina clara dei,

9 risit, dulce tuens. Quo grando repente recessit,
 10 purior et solito lumine Phoebus iit.
 11 Quid sperare licet tali de principe nobis,
 12 cum fulget vultu nubila fusca suo ?

PARIDIS EPITAPHIUM

E3_5 v.1 Qui tegor hic, Danaas armavi in Pergama gentes,
 2 heu, Paris, heu, patrii sola ruina soli.
 3 Quem Venus et teneri blandus moderator amoris,
 4 abjectum, in castris erudiere suis.
 5 Hinc vix prima genas pingebat flore juvenus
 6 cum placui formae, Pegasi nympha, tuae.
 7 Postmodo, de facie cum noscor regia proles,
 8 accendit flammam nupta Lacaena novas.
 9 Felix qui placuit, si displicuisset amanti,
 10 et qui displicuit, plus placuisset amor.

ADHUC

E3_6 v.1 Pastor eram in silvis, Graiis sed amator in oris,
 2 miles in Iliaco per duo lustra solo.
 3 Fistula pastori, Ledaea placebat amanti,
 4 bellanti certa missa sagitta manu.
 5 Fistula securae placidissima pignora vitae,
 6 tuque, Lacaena, labor, tuque, Gradive, dolor.

ADHUC

E3_7 v.1 Pastor, miles, amans colui, armavi, violavi,
 2 rus, patrim, hospitium pace, phalange, rate.

IN DEFORMISSIMUM QUENDAM, SED ARROGANTEM

E3_8 v.1 Ille viden', pathicae cui pars tribuenda puellae,
 2 si qua fiet, naso longior esse nequit ?
 3 Ille viden', cui Pygmaeo pes longior uno,
 4 insequitur turpes turpior usque nates ?
 5 Quale malum ! Quae dira lues ! Hominesne bovisne ?
 6 Vel mala forma hominis, vel bona forma bovis.

CAROLO WALLIAE PRINCIPI

E3_9 v.1 Spes, amor, et magni ter magna parentis imago,
 2 lux, decus, et patriae, Carole, cura tuae,
 3 scis quem te jussit superum chorus esse deorum,
 4 audi debebis nunc tibi quidque diis.
 5 Sceptra Jovi, cujus reges genus esse et alumnos
 6 Fama vetus cecinit, fama canitque nova.
 7 Ingenium, dotesque animi, moresque Minervae,
 8 sive sagum placuit sumere, sive togam.
 9 Flaxanimae Pitho, Veneri, Orchomenique puellis,
 10 corporis haec quae nos cernimus esse bona.

11 At Cereri, ut vitae sua nutrimenta, et Iaccho,
 12 Phoebo quod morbum haud te mala multa premant,
 13 mortalem superis vitam, aeternamque Camenis,
 14 aeternos ipsos Musa dat esse deos.
 15 Haec superis vatumque modis debebis, at ipse
 16 Fortunae, sapias, es faber usque tuae.

IACOBO FULLARTONO, CAROLI PRINCIPI A CUBICULIS INTIMIS

E3_10 v.1 Pallade certabat cum virgine Clio et Apollo
 2 Qui Fullartoni sic tibi nomen eat.
 3 Liminis Arctoi 'phullon' te Phoebus, at illa
 4 'Mousaôn phullon se emmenai ke arton, ephê.'
 5 'ton d'areton phullon' te, Fullartone, Minerva.
 6 Sic ratio ternis terna probata diis.
 7 Si mihi fas, aliquid post numina dicere tanta,
 8 "phullon tôn Mousaôn, artos esê Charitôn."

ANNAE DRUMMONDAE, D. IOAN. SCOTI SCOTOTERVATII CONJUGI

E3_11 v.1 Quem dederas, veri monumentum et pignus amoris,
 2 excidit hic digitis annulus, Anna, meis.
 3 Non equidem nostri fuit ista incuria, testor
 4 nomina sinceræ maxima amicitiae.
 5 Nec tum me ulla tui caepere oblivia, quamvis
 6 inter nos longae millia multa viae.
 7 Verum aliqua eripuit necopino, nilque scienti,
 8 nescio qua tacita, Castalis, arte, mihi.
 9 Scilicet, ut digito quia noluit esse poetae,
 10 poneret in numeris, Anna, perenne meis.

IN CONJUGES DISCORDES

E3_12 v.1 Ausus erat quisnam thalamo sociare jugali,
 2 quos vidit junctos vix brevis hora duos ?
 3 Litigat haec semper, linguaeque exsuscitat hydras,
 4 verberibus duras ingerit ille minas.
 5 Gaudet adulterio sedenim dubioque cubili
 6 vir, petit et dubium nec minus illa torum.
 7 O Paphiae quae cura deae ! Quos nulla deum vis,
 8 hoc fecit dubius jungat utrosque torus.

PASTORIS DE MONACHO ET LUPO QUERELA

E3_13 v.1 Nulla quies, nulla humanis constantia rebus,
 2 occupat alternas spesque metusque vices.
 3 Namque sub his patulae recubo dum frondibus ulmi
 4 et levat arentem lympha sonora sitim,
 5 hinc monachus nostrae dat basia mille maritae,
 6 atque rapit sacri gaudia foeda tori.
 7 Hinc lupus urget oves. Timeo malecautus utrumque,
 8 et premor a binis unus ubique malis.
 9 Ergo petam monachum ? Pecori lupus instat anhelio.

10 Ergo lupum ? Monachus basia nostra feret.
 11 Lude tamen, conjunx, potius. Minus est, mihi crede,
 12 mille lupos unam quam domuisse lupam.

IN AURICULAREM CONFSSIONEM, AD DIVUM FRANCISCUM

E3_14 v.1 Dic me funigerae pater, o Francisce, cohortis,
 2 per precor hos nodos, mystica signa, tuos,
 3 perque quod umbroso tegitur caput usque galero,
 4 et per nudatos nec sine sole pedes,
 5 Auricularis ubi confessio saepe peracta est,
 6 sacra facit Paphiae cur tua turba deae ?
 7 Haec ego purgator divum credo abstulit ignis,
 8 aut flamma forsitan proximior perit.
 9 Credo tamen, sacrae sint ut miracula sectae,
 10 auriculas culus coepit habere suas.

IN RUFUM

E3_15 v.1 Non amo te satis hoc, sed possum dicere quare.
 2 Ore mihi inquis "ave", pectore, Rufe, "cave".

IN VARUM

E3_16 v.1 Tu mihi semper ais mendaces, Vare, poetas.
 2 Ast ego mendacem te mage, Vare, dico.
 3 Qui, rogitas ? Quia si mendaces usque poetae,
 4 Tisiphone, genetrix quae tibi, ficta foret.

IN THEOLOGOS HUIUS TEMPORIS

E3_17 v.1 Non tot theiologos mundus conspexerat unus,
 2 et numquam plures vidit atheiologos.

DE GALLI UXORE ADULTERA

E3_18 v.1 Uxori astantem Gallus conspexerat Aulum,
 2 paucaque confertis basia ferre labris.
 3 Hic quid agat dubitat, dolor hunc, pudor urget at illinc.
 4 Hinc timor hoc metuit, nec putat esse nefas.
 5 Dumque stat ante fores, secum ita cuncta volutat,
 6 et metuit dubiam conjugis esse fidem,
 7 fit strepitus tectis, tremuli argutatio lecti
 8 quassa, dedit laesi proxima signa tori.
 9 Ergo ruit (neque enim thalami temerata jugalis
 10 jura aequo potuit concoquere haec animo),
 11 "Et resera ;" exclamat, "nam si mora longior obstet,
 12 diffringam has vulso cardine, moecha, fores."
 13 Illa : "Quid o dubitas ? Fidei per mystica juro
 14 quam metuis, tuto res manet illa loco."

HECTORIS TUMULUS

E3_19 v.1 Hospes ades quisquis, ne celsae moenia Trojae
 2 ne pete, quae Phrygios contegat herba duces.
 3 Hic pater, hic genetrix, hic gloria, bella, triumpho,
 4 conditur hic minimo maxima Troja loco.

IN PHILENIDEN

E3_20 v.1 Unde hoc, Phileni, culta, pulchra, candida,
 2 simulac amicus te petit, deliria
 3 vulgi recensens et fori mendacia,
 4 testata magna tu repente numina,
 5 juras futatam nec fuisse nec fore.
 6 Phileni, siste. Quid jurare proderit,
 7 cum te tacente pejeraret halitus ?

IACOBI KYNNERI FORRETII TUMULUS

E3_21 v.1 Livor Tartarea modo cum remearet ab aula,
 2 longa soli expertus taedia, longa sali,
 3 constitit ad tumulum Kynneri, et talia fudit :
 4 "Hic vel Kynnerus, vel jacet alma Themis."
 5 Cui dea terrificam quassans ita Gorgona Pallas :
 6 "Immo hic Kynnerus, hic jacet alma Themis."

DIES NATALIS BRITANNIARUM REGIS JACOBI, IUNII REPETITUS

E3_22 v.1 Jam redit ille dies qui magni principis ortum,
 2 Fergusidum stirpi Brutiadumque dedit.
 3 Ille dies niveo signandus saepe lapillo,
 4 quem nonum et decimum Junius ire jubet.
 5 Pax aeterna illum et Clementia mitis honoret,
 6 et cum Castalio, docta Minerva, deo.
 7 Illum unum colat aequa Fides redeuntibus annis,
 8 et Sophia et, Suada concomitante, Charis,
 9 ut divum, de rege Jacobo hominumque voluntas
 10 haec rata vota petat, hac rata vota sinat.
 11 Vivat, et integra canos fallente senecta,
 12 totque annos numeret quot numeravit avos.

DE RUSTICO ET MONACHO

E3_23 v.1 Rusticus aestivis opus intermiserat horis,
 2 jamque domum a parvo forte redibat agro,
 3 at postquam intravit, monachum cum conjuge vidit
 4 blandula Cyprigenae bella movere deae.
 5 Dumque necem intentat : "Sunt haec mihi praemia ?" clamat.
 6 "Uxorem", monachus, "quod tibi purgo tuam ?
 7 Nonne vides, lassus novus ut fluat undique membris
 8 sudor ? An ultricem res petit ista manum ?"

9 Rusticus huic : "Vestri si sint purgamina penes,
 10 da mihi, ne lasset te labor iste, tuum."
 11 Nec mora cunctanti secuit genitalia, et inde
 12 purgavit dominam rusticus ipse suam.

DE AULO PAPISTA ET REFORMATAE RELIGIONIS ECCLESIAE QUODAM PASTORE

E3_24 v.1 Dum stat Judicis ad tribunal Aulus,
 2 Aulus Romuleum colens parentem,
 3 factumque inficiatur, urget alter
 4 et testes citat, et : "Potesne tandem
 5 crimen, Aule, negare", ait, "probatum ? "
 6 Huic Aulus : "Valeo negoque" , reddit,
 7 "nec factum puto, namque somniabam.
 8 Et tu (si memini) tuis popellis
 9 Papistas", ait, "usque somniare."

GERYONIS VATICINIUM COMPLETUM

E3_25 v.1 Cornutum pecus Hesperiiis Tirynthius oris
 2 abstulerat, valida per juga summa manu.
 3 Quem simulac pastor subducere vidit Iberus,
 4 scilicet : "Hac patrios scande", ait, "arte polos.
 5 Nil moror, at vera si me non fallit imago,
 6 Terra feret multos haec populosa boves."
 7 Dicta fides sequitur : "Tam fertilitatis amica est
 8 ut videas ipsos cornua ferre viros."

AD EUNUM

E3_26 v.1 Quid Telamoniaden, Clymenes cum prole, furentem,
 2 quid laudas Cadmi Pirithoique manus ?
 3 Serus honor post fata venit, nunc atria pulset.
 4 Quique comes magnis livor ubique viris.
 5 Si foret Empedocles sua jam post busta superstes,
 6 non daret Aetnaeo membra cremanda rogo.
 7 Unde putas nullum fortem magnumque videri,
 8 dum queat esse aliquid, ni velit esse nihil ?

IN GRAMMATICOS

E3_27 v.1 Num bene grammaticis, queis omnia tristia, quinque
 2 constituit primis versibus ipse Maro ?
 3 "Arma refert" primus, "profugum" canit inde secundus,
 4 "Terra jactatum" tertius, atque "mari
 5 vim superum" quartus, "saevae Junonis ob iram".
 6 At "bello passum" plurima quintus habet.
 7 Nunc age, grammaticus, dic, tot post omina dira,
 8 et post tot casus, qui bene laetus erit ?

IANI BIFRONTIS EFFIGIES

E3_28 v.1 Dicite, cur gemina ferat hic duo lumina fronte,
 2 aut cur prospiciat respiciatque deus ?
 3 Scilicet his, dantis dum munera spectat ocellis,
 4 mutua reddentis munera cernat iis.

CIRCULUS VACUUS, PRO EFFIGIE NEMINIS SUI POSITUS

E3_29 v.1 Neminis effigies vera hic ostenditur, ipsi
 2 fronte, oculis, toto corpore persimilis.
 3 Nam si ipsum adspicias (ceu vidit Homerus), imago
 4 illius haec dubites, hujus an ille magis.

ROBERTO AITONIO EQUITI, POETAE

E3_30 v.1 Qui dominae laudat crines et eburnea colla,
 2 Sydreosque oculos, numquid 'aiei tonos' est ?
 3 Qui nunc cantat plane diis heroidas orsis,
 4 Heroumque ignes, numquid 'aiei tonos' est ?
 5 Qui semper tereti deducit pectine carmen,
 6 Musarum antistites, numquid 'aiei tonos' est ?
 7 Quam bene conveniens Phoebo, nomenque puellis,
 8 ut sit 'aiei tonos' hic noster Aitonius !

THOMAE DEMPSTERO IURISPRUDENTIAE BONONIAE PROFESSORI

E3_31 v.1 Dum procul a patria, Latiis novus hospes in oris,
 2 illustras patriam, docte poeta, tuam,
 3 promissis et e tenebris doctorum scripta virorum,
 4 Scotia quos patrio nunc vocat ore suo
 5 in patriam rediere suam, patria procul olim,
 6 illustrem et patriam, teque poeta, ferunt.
 7 Et ne tot frustra subeas, Dempstere, labores :
 8 Scotia te patriae nunc ciet ore patrem.

DE PHILIPPO, MODO NOBILI, RITUS PAPEOS IRRIDENTE

E3_32 v.1 Ritus et ceremonias papaeas,
 2 et rasum caput, et pedes resectos,
 3 et castam Venerem, satisque ditem
 4 semper pauperiem, impium et cucullam
 5 deridens modo nobilis Philippus :
 6 "His," inquit, "miserum prius popellum
 7 lusit praestigiis papaeus ardor.
 8 His sacras domino dicavit aedes.
 9 His caelum et Stygios domavit ignes.
 10 Cum non quadrupedum litetur extis,
 11 sed mente aethereo pia tonanti."
 12 Cui Gryllus cito : "Sed, Philippe, templa
 13 si non ista Deo prior dicasset
 14 aetas, sub tenebris regens papaeis,
 15 nec portas, nec porticus, nec arces,

16 non stratum modo tu cubile haberes."

IN EUNDEM

E3_33 v.1 Quisquis dixerit optimum Carinum
 2 futurum, ille putet volare tauros,
 3 et cursu celeri relinquere auras.
 4 Quisquis dixerit optimum Carinum
 5 futurum, ille putet diem tenebris
 6 et Phoebum in vitrio natate ponto.
 7 Quisquis dixerit optimum Carinum
 8 futurum, ille putet solum hoc moveri,
 9 et caelum in media natate terra.
 10 Haec credat licet et putet futura,
 11 quisquis dixerit optimum Carinum.

AD ANDREAM AIDIUM ABREDONENSEM

E3_34 v.1 Carpere nescio quis fertur mea carmina livor,
 2 et morsu Paphios laedere velle jocos.
 3 Hunc ego si sciero, tu si fors videris usquam,
 4 Aidi, in 'Aidou' limina mitte 'Aidou'.

IOANNI COCBURNO, CAROLI PRINCIPIS CREODATAE

E3_35 v.1 Cocburnum natura tulit, sors sustulit aequa.
 2 Cocburno mores contulit alma Charis.
 3 Cocburno ingenii Tritonia detulit artes,
 4 et genium Cocburno obtulit alma Venus.
 5 Praetulit innumeris Cocburnum Phoebus, et inde
 6 intulit hunc numeris Aonis una meis.

IN FLACCUM POETAM

E3_36 v.1 Triste scelus, numeris maculosum stringere iambum,
 2 aut, versu veterum nomina ferre deum.
 3 Ludere triste scelus, blandum ridente Thalia,
 4 promereque argutis mollia verba jocos.
 5 Sola placent gravia, et rerum tibi prima sacrarum,
 6 et quicquid melius pagina sancta probet.
 7 At non, Flacce, scelus, sacris illudere dictis,
 8 et saepe insipidos his animare sales.
 9 Haec facias quamvis gravis es, meritoque videris.
 10 Hoc grave te vatem dat scelus ire gravem.

IMPAR VENATIO CINNAE ET PONTIAE

E3_37 v.1 Ibat venatum Cinna, ibat Pontia, cincta
 2 haec Veneris ritu, virginis ille deae.
 3 Haec thalamum, nemora ille petit camposque jacentes.
 4 Haec scuto, jaculis nobilis ille suis.

5 Praeda ferendo huic est, praeda est feriendo sed illi.
 6 Huic remanendo, illi praeda sequendo venit.
 7 Haec prima juvenem captat florente juventa,
 8 at cervum ille altis cornibus egregium.
 9 Exitus hic ludi est, cervum cum cornibus ille
 10 rettulit, at captum reppulit illa virum.

IN SCOTOS EXTERNOS MORES REFERENTES

E3_38 v.1 Rarus abest patria Gallus : sua limina servat,
 2 prae foribus semper gaudet et esse suis.
 3 Flander ad Eoos currit mercator ad Indos,
 4 nominaque inventis ponit Iberus agris.
 5 Circum aequor terraeque sinus animosior Anglus
 6 navem agit, et caeli lustrat utrumque polum.
 7 Italus in Graiis, Latiis Teuto hospes in oris.
 8 Stat glacie in vincta Cimbrica puppis aqua.
 9 At levior Scotus nusquam vestigia figit,
 10 perque soli longas it pelagique vias.
 11 Hinc mores Gallique refert, Flandrique et Iberi,
 12 Britonis, et Cimbri, Teutonis, atque Itali.
 13 Sed morum discrimen habet. Mercator et Anglus,
 14 Flander, et est Cimber, Teutoque vulgus iners.
 15 Gallica mobilitas, fraus Itala, fastus Iberi
 16 sunt tria quae sibi vult nobilitatis apex.
 17 Sic dum cuncta refert et non vult unus haberi,
 18 desinit esse aliquid, incipit esse nihil.

NOCTI, GENIO, ET PENATIBUS, OB CONVENTUM PRIMO T. HOPAEUM I. C.

E3_39 v.1 Beata noctis o tenebrosae quies,
 2 quae nube clarum fuscule pellis diem,
 3 genique, diae qui invias mentis vias
 4 colisque celsa pectoris penetralia,
 5 et vos, penates Hopiani liminis,
 6 sublime qui me ad culminum fastigia
 7 duxistis, illum ubi intueri fixius,
 8 cui Musa curas, cuique dividit Themis,
 9 licuit, virente thyrsos tactum Apollinis,
 10 cui Suada succo proluens ambrosiae
 11 formavit ora, et laeta depluit Venus
 12 leporum amoenas cum decore gratias.
 13 Hunc quod datum jam mi intueri et alloqui,
 14 dabo mille iambos, mille alio claudos pede
 15 scizontas, et tot paetulos Phalaecios,
 16 quos, ture, cumque melle, et optimo mero
 17 tibi, nox, genique, et di penates, offeram.

IN QUENDAM DE OMNI RE DUBITANTEM

E3_40 v.1 Disce, miser, dubiam vaga qui sententia mentem
 2 deserat, et qui non sis tibi Carneades,
 3 ilicis umbra mihi est gemino contermina fonti,

4 et numquam visa est haec dubitasse mihi.
 5 Naias irriguis hanc nutrit proxima succis,
 6 arridetque undis sole nitente suis.
 7 Guttare suppresso, tres hic cum penderis horas,
 8 ter dubita, vivas numquid an intereas.

IN AVARUM, AD PERILLUM

E3_41 v.1 Papistam vocat inscius popellus,
 2 papistam negat inscius popellus.
 3 Tu dic, scis qui hominem, Perille, totum,
 4 an sit Christicola an Pecunianus.

IOANNIS SIMMER (QUOD AESTATEM ANGLICE SONAT) A BALLYORDIE TUMULUS

E3_42 v.1 Regnat hiems, aestas fuerat. Miracula non sunt
 2 aestas si, bruma jam subeunte, perit.

PHYLLIS DEMOPHOONTI INGRATITUDINEM EXPROBAT

E3_43 v.1 Phyllis, opes et opem, regnum portumque torumque
 2 concessi, gnoto credula virgo, viro.
 3 Munus an hospitii mors ? Sospitiine sepulchrum ?
 4 A te, Demophon, non tibi falsa fui.

VENUS ET MARS

E3_44 v.1 Cum Diomedeo Venus iret saucia telo,
 2 mortali et gemeret vulnera facta manu,
 3 risit, et innixus Geticae sic Mars ait hastae :
 4 "Non hic sunt thalami, Cypria diva, tui."

IN EBRIUM ECCLESIAE CUIUSDAM PASTOREM

E3_45 v.1 Non ego, quod veram populo monstrare salutem
 2 sueveris, et sacrae dogmata sacra viae,
 3 sed miror, qui vix terris vestigia serves,
 4 ad caelum recta ducere posse via.

IN PURUM IMPURISSIMUM

E3_46 v.1 Adspicis impuri maculis insignia puri
 2 ora ? Stet ut rubris Bacchica gemma genis ?
 3 Qui Curios simulet ipsos gravitate Catones,
 4 quoque sonet magni mystica sacra Dei,
 5 hic tamen in turpi latitat dum saepe taberna,
 6 sacra Bonae celebrat non referenda Deae.

IN ZELOTYPUM PATREM

E3_47 v.1 Improbe, de tenera metuis quid multa puella,
 2 credisque fama percitus mendaciis ?
 3 Mulciber Idaliam vidit cum Marte Dionem,
 4 quid si Lycorin comperisses hic tuam ?
 5 Aegida habet Pallas, non Gorgonis ora Medusae,
 6 non hasta, desunt arma nulla virgini :
 7 arma ducesque simul, junctaeque umbone phalanges,
 8 et claustra vinclis conjugata aereis
 9 non poterunt servare unam sine labe puellam,
 10 si quid Cythere vel Cupido suaserit.

D. IOANNI SCOTO, SCOTO-TERVATIO EQUITI

E3_48 v.1 Nisus et Euryalus, Pollux cum Castore, Theseus,
 2 Pirithous, Tydeus cum Polynice suo,
 3 cum Jonathane bono Iessei clara propago,
 4 Laelius, aeternum cum Scipione viret.
 5 Qui spreuit Pyladen socium quoque spreuit Oresten,
 6 una Menaetiadae mens et Achillis erat.
 7 Damonem metuit, Pythiam qui laeserat olim.
 8 Haec fuerant magnae nomina amicitiae.
 9 Nostraque, Scote, cavas subeat ne fama tenebras,
 10 succedes decimo, me comitante, loco.

CAROLO VALLIAE PRINCIPI

E3_49 v.1 Ales olor, zephyro numquam nisi flante canorus,
 2 ingeminat placido gutture molle melos.
 3 Ingenuos volucris notat haec, o Carole, vates.
 4 Te zephyrum cygno quid vetat esse tuo ?

IACOBO MAXUELIO,
 REGI A CUBICULIS INTERIORIBUS, EQUITUM ORDINIS PERISCELIDIS FAECIALI

E3_50 v.1 Dura quidem res est (liceat modo vera fateri)
 2 non tacuisse mihi, vel tacuisse mihi.
 3 Dura quidem haec sunt, Maxueli, durissima sed res,
 4 si prosim minimum forte loquendo, loqui.
 5 Quid faciam ? Tacuisse amor impedit, haud tacuisse
 6 officii meritum. Dat dubitare pudor.
 7 An meritum reticebo, an pulchrae munera mentis,
 8 an neutrum potius, vel tibi utrumque canam.
 9 Nec faciam et faciam : namque hoc epigrammate curto,
 10 dumque loquor taceo, dum taceoque loquor.

IOANNI MARESCHALLO

E3_51 v.1 Septem elementorum munus tibi carmine mitto,
 2 Mareschalle, animi pars bene magna mei.
 3 Prima est de volucrum Palamedis nomina prima,
 4 proxima at irati littera, Jane, canis.

5 Terna accusanti, damnato propria quarta est
 6 (si locus Ausonio est hac quoque parte foro).
 7 Quinta tuo (si vera fides) de nomine prima est,
 8 sexta e Cadmaeis littera prima notis.
 9 Ultimam "ave salveque" tuo cum dicis amico
 10 sume. Ita nunc grati munus amantis habes.

IN POSTHUMUM SUPERBUM

E3_52 v.1 Quod quacumque tui rapiunt te, Posthume, gressus,
 2 seu fora, seu populo compita foeta petis,
 3 spirat Achaemenium tyrianthina vestis odorem,
 4 et nitet in digitis gemma corusca tuis.
 5 Quodque superfuso radiet tibi balteus auro,
 6 pendeat ex humeris picta lacerna tuis.
 7 Vis te aliquem, quem vulgus iners totusque senatus,
 8 quemque colat flexo femina virque genum
 9 cui Thetidos proles, cui vis Telamonia posset
 10 cedere, vel magnis aemulus ille diis.
 11 Hectora te credis, cujus depicta veruto
 12 aurea solius fulget imago tuo.
 13 Hei mihi, qualis adest ? Quantum hic mutatus ab illo
 14 Hectore ! Nunc gladium, non ego cerno virum.

PROCI ET PUELLAE NOSTRI TEMPORIS

E3_53 v.1 Arsit amans Phoebus nymphae Peneidos igne,
 2 vota fugax cupidi lusit at illa dei.
 3 Candida capripedem Syrinx ita fugit amantem,
 4 et satyri Eurydice per vaga rura labor.
 5 At nunc, quis furor hic, quae dissimulatio divi ?
 6 Quaeque fugit sequitur, quae sequiturque fugit.

DE JOVE, AD IDOLORUM ANTIQUITUS CULTORES REGES

E3_54 v.1 Arduus armata qui torsit fulmina dextra,
 2 rexque deusque hominum, rexque paterque deum
 3 taurus, olor, satyrus, serpens, dea, pastor, et aurum,
 4 proque fuit domina flammaque virque sua.
 5 Cuinam igitur, reges, adoletis cinnama ? Vobis.
 6 Namque etiam tales vos ego credo Joves.

IN EUNDEM

E3_55 v.1 Quod scelus in terris homines, quae crimina linquent,
 2 si regat hic caelos, quem regit omne scelus ?

QUALEM OPTET UXOREM

E3_56 v.1 Galla fide dubia, postquam data nupta marito,
 2 virgini at intacti cura pudoris adest.
 3 Scota fide certa postquam data nupta marito,

4 Virgini at ambigui cura pudoris adest.
 5 Si ulla meo thalamo conjunx debebitur, oro,
 6 virgine sit Galla, conjugue facta Scota.

IN ALEXIN MEDICUM, EX GRAECO NICANDRI

E3_57 v.1 Clystera medicus quinque Alexis praebuit,
 2 et quinque purgavit simul.
 3 Morbo jacentes quinque repperit viros,
 4 et quinque injunxit denuo.
 5 Medicina quinque his una, nox una ultima,
 6 vespillo et unus contigit.
 7 Unum sepulchrum, et Orcus unus omnibus,
 8 planctusque non nisi unicus.

DE TRIBUS GRACILIBUS, EX GRAECO NICARCHI

E3_58 v.1 Tres quondam graciles certabant, corpore quisnam
 2 tenuior. Haec tantae litis origo fuit
 3 primus, acus artem ostentans, subtile foramen
 4 transmisit, manibus linea fila tenens.
 5 Constitit in telis alter textricis Arachnes,
 6 non grave bestiolae deinde pependit onus.
 7 Tertius exclamat : "Palmam et mihi ferte corollam.
 8 Si videor vincor, non ita corpus ego."

IN PULICEM

E3_59 v.1 Pulex pumile, quid meis quietem
 2 hoc noctis vagus invides ocellis,
 3 huc illuc saliensque palpitansque ?
 4 Non sum quam tibi reris esse, non sum,
 5 succiplenula, delicata virgo.
 6 Non adhuc socio cubans cubili :
 7 cui matris timet atque cura patris.
 8 Cujus tu tamen et labella rubra,
 9 et genas nive purpuraque tinctas,
 10 palpebrasque duas ocellulorum,
 11 et collum simul, et femur tenellum,
 12 et quicquid relicum est lubentiarum,
 13 quod castis Venus abdidit tenebris,
 14 percurris cito, vellicante morsu.
 15 Hanc si me esse putas, nigelle pulex,
 16 pulex pumile, pumilille, fallis.
 17 Illuc te refer ergo, et hinc recede,
 18 indulgens placidam meis quietem
 19 paulum luminibus. Negare sin mi
 20 pergis munera noctis atque somni,
 21 mellitam, teneram, brevem quietem,
 22 inducam horridulam feramque Parcam,
 23 caput pollice quae premens gulamque,
 24 et pectus piceum et pedes nigellos,
 25 exutum tunica, brevisque pelli,

26 nudatum satis <mox> relinquet Orco,
27 culici comitem Maroniano.

ARCTURO IHONSTONI D. MEDICO, POETAE LAUREATO

E3_60 v.1 Nescio praeteritis quaeenam, Johnstone, diebus
2 invidit mihi te sors mala, meque tibi,
3 cum tamen alterutrum alteruter quaesisse feratur,
4 cum tamen alteruter fugit ab alterutro.
5 Tu me quaesieras, ego cum te quaerere coepi.
6 Tu me apud, atque ego apud te, nisi fallor, eram.
7 Erroris vitium hoc, nam ego te si forsan apud me
8 aut tu quaesisses me te apud, ut licuit,
9 alterutrum alteruter facile invenisset, eadem
10 luce, hora, inque uno temporis articulo.
11 Ridebit Bavii, sciat hoc, Onopordus, imago,
12 et furiis plaudet sideribusque suis.
13 Quare te, vel me, face apud te cernere possim,
14 jamque ut conveniam, dic ago quo veniam.

BALNAMONO DISCEDENS, KAL. MAIIS

E3_61 v.1 Clara annis meritisque virum, Colessia virtus,
2 quos hinc bellipotens vendicat, inde Themis,
3 et domus, o, multis quamquam tentata ruinis,
4 ausa tamen centum ter superare hiemes,
5 unde avus, unde mihi genetrix tutorque fuerunt.
6 Fas mihi <in hoc> primos gramine ferre pedes,
7 dulce valere simul, memoresque estote poetae,
8 qui numquam vestri non potis esse memor,
9 quod si, me Clariis laurus quaesita trophaeis,
10 vos manet ingenio gloria parta meo.

GUILELMO HERBERTO, COMITI PEMBROCIO

E3_62 v.1 Non haec supina laude charta praetumens,
2 tuum loquetur, posterumve saeculis
3 tradet stupendum nomen invido stilo,
4 Herberte magne. Te laudare qui velit
5 laudet Camenas, Pallada, atque Gratias.

GULIELMO LESLAEO PHILOSOPHIAE IN COLLEGIO REGIO ABREDONENSI PROFESSORI

E3_63 v.1 Seu primo legerere sive quarto,
2 seu quovis alio meo libello,
3 Leslaee, id minimi aestimato pili.
4 Sin primo positus meo libello,
5 extremus meus esse amicus audis.
6 Nec primum facis ordinem meorum,
7 illud ne minimi aestimato pili.
8 Sed magni capitis, minusque calvi.
9 Immo te (nisi fors putas joculari)

10 toto ponderis aestima esse pluris.

IOANNI VEMIO SUO

E3_64 v.1 Exigis in nostris sedemque locumque libellis,
 2 scilicet ut nomen vivat, amice, tuum.
 3 Carmina cum currant mea, tu requiescere poscis ?
 4 Vanius esse meo quid pote Vemiolo ?

DE SACERDOTE GAURO

E3_65 v.1 Mane pater noster, Borea frigente nivali,
 2 dum boat ignotis Gaurus, ut ante, sonis,
 3 nescio quid miserum querulo responderat ore
 4 non intellectis culus et ipse tonis
 5 "Sed bene," flamen ait, "quia flamine fortius uno,
 6 orans cum socio flamine, flamen agit."

PUELLARES ARTES

E3_66 v.1 Promuntur varia vultus de pixide, crines
 2 ornantur, laxum stringitur arte latus.
 3 Pallor, et hinc macies, bibitur carbonibus atris.
 4 Exiguo premitur compede forma pedis.
 5 Plura ferunt tenerae (quorsum tamen ista ?) puellae.
 6 Ut possunt medios nempe vorare viros.

IN GLYCEREN

E3_67 v.1 Quod pulchros, Glycere, sumas de pixide vultus,
 2 quod tibi compositae, nec sine lege, comae,
 3 quod niteat digitis adamas, beryllus in aure,
 4 quod brevis est lateris, par quoque forma pedis,
 5 lactea quod cingat baccatum colla monile,
 6 quod peregrino vestis odore placet,
 7 quod levis incessus, quod lumina paeta vagantur,
 8 quod multus toto risus in ore sedet,
 9 quod maneant nuda media plus parte papillae,
 10 insita quod brevior vix tua crura tegat,
 11 otia quod, Glycere, quaeras choreasque frequentes,
 12 quod moveas teneros arte decente pedes,
 13 inter et aequales residens lasciva puellas,
 14 saepe canas Paphiae libera furta deae,
 15 quod juvene aspecto, Glycere, suspiria mittas,
 16 non sum divinus, sed scio quod cupias.

SCOTIA DESCEDENS, KAL. OCTOBRIS

E3_68 v.1 Terra viris studiisque potens, seu torvus ad arma
 2 Mars vocet, et Getico pulvere sparsa ruas,
 3 sive opus ingenio, rigidae tutela Minervae,

4 gloria Pierii, terra decusque chori,
 5 seu tua Fergusio debes seu sceptrum Gathelo,
 6 seu profuga e Scythicis nomina sumis aquis,
 7 continua serie centum regnata superque
 8 regibus, ad nomen, magne Jacobe, tuum,
 9 paulum blanda vale. Sinis hoc, dulcissima tellus,
 10 Scotia, seu patriae nomina forsitan amas.
 11 Me placidi Ligeris, Rhodani rapidissimus amnis,
 12 et me nobilibus Sequana primus aquis,
 13 me vocat exiguo descendens fonte Garumna,
 14 turbidus hibernis qua mare poscit aquis.
 15 Hic nostris requiem, hic bonus otia blanda Camenis,
 16 Phoebus et Aonidum spondet amica cohors,
 17 dum pro vate suo nil non mea cura recusat
 18 Scotus, et absenti praestat amicus opem.
 19 Hunc tu terra fovens, nostri memor usque reserva,
 20 seu mihi dent redditum, seu mihi fata obitum.
 21 Sed mihi quem poterunt redditum dare fata obitumque,
 22 si tecum maneat, vivat et ille meus ?
 23 Vivat, et o maneat ! Sic mortuus, et licet absens,
 24 tecum ego nunc vivo, tecum ego nunc morior.

DAVIDI MICHAELI

E3_69 v.1 Si posset Ligeris Taus esse, aut Glotta Garumna,
 2 salvere, vates, dicerem vates tibi.
 3 Nunc, quia tot terrae distingunt millia utrumque
 4 salvere, Michael, mitto, non dico tibi.
 5 Et ne fors vacuas eat hoc salvere per auras,
 6 comitem viae dedi. En vale.

LAURENTIO SKINNERO, DE MALIS SUIS DUM EA EDITURUS ESSET

E3_70 v.1 Munera dum Jani propero, Skinnere, Kalendis
 2 mittere patrono dulcia mala meo,
 3 morbus iners iterum me lecto affixit, et ausa est
 4 intentare avidas Parca sinistra manus.
 5 Ille tamen (gratare tuo) deferbuit aestus,
 6 jam redit ad Musas mens animusque suas.
 7 Mala tamen fugio, namque hinc seges ista malorum,
 8 hinc mihi tristitiae prima elementa meae.
 9 Nam dum mala cano, mala me cecinisse putavit
 10 Parca, colubriferas horrida Parca comas.
 11 Ergo ait : "O vates nostrorum magne malorum,
 12 haec habeas numeris praemia digna tuis."
 13 At dum mala meis vidit cantata Camenis,
 14 erubuit dubio lusa virago sono.

D. ROBERTO DOBBAEO EQUITI,
 DUM JACOBI BONAVENTURAE HEPBURNI SCOTI LINGUAS TYPIS EXCUSAS
 SIBI DONO DARET

E3_71 v.1 Divini ingenii, magnum et memorabile munus,

2 nobile Dobbaei stemma decusque laris,
 3 ter, quater et denas, modo cum ferres mihi linguas,
 4 quas habet hoc loquitur quisquis in orbe notas.
 5 Quid loquar ? Incertum obstupui caelestia dona,
 6 anne magis tacita gaudia mente tuli.
 7 Sed magis obstupui. Quis enim, quis credere vellet
 8 unius Hepbureni haec cuncta latere sinu ?
 9 Sed magis exsilui, laetatus munere tanto,
 10 Dobbaeo dignus quo meus exstat amor.
 11 Interea nostras cape nunc, Dobbaee, Camenas.
 12 Haec sunt pro tantis munera muneribus,
 13 ista licet non aequa tuis : quis enim audeat istud ?
 14 Nec meus hic tanta luditur arte labor.
 15 Attamen his suus adstat honos, et gratia facto est.
 16 Nec tantum viles musica turba sumus.
 17 Confer enim Musam, atque artem diversa loquendi,
 18 auctores homines haec habet, illa deos.

DE LAUDATORE ET ADULATORE THOMA GODDAEO,
 SS. THEOL. D., ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS SACELLANO

E3_72 v.1 Cum me laudares laudum inferiora merentem,
 2 conticui primum, idem in grades ore modesto
 3 persolvi, ut decuit. Sed dum te tollere conor,
 4 laude sua, laudum longe suprema merentem,
 5 perstrinxi modico tum me sale, meque rogasti
 6 ut scopulos fugerem, neque saxa latentia adirem
 7 caecus adulantum. Cedo meliora monenti.
 8 Laus etenim fraudis pressit vestigia saepe, et
 9 laudis adulator comitem fraudem trahit usque.
 10 Immo anagrammaticus si quis duo nomina scribat,
 11 ibit adulator, qui vult laudator haberi.

DELICIIIS ANGLICIS VALEDICIT

E3_73 v.1 Paetum et Iacche parens, et amarae mella Cytheres
 2 terna mihi ignoti causa cibusque mali,
 3 daemonis aequa trias, sed non tamen aequa, valete,
 4 este pari impariles semper ubique modo
 5 et paetum Bacchus, Bacchum paeti incitet herba.
 6 Ignifera ignigenam, hinc ignigena igniferam.
 7 Certe ego vos cernens, et amarae mella Cytheres,
 8 ignem utrum gignam nescio, utrumne feram.

IOANNI COCBURNO, CAROLI PRINCIPIS PRAESECTORI

E3_74 v.1 Cocburnum natura tulit, sors sustulit aequa,
 2 Cocburno mores contulit alma Charis.
 3 Cocburno ingenii Tritonia detulit artes,
 4 et genium Cocburno obtulit ipsa Venus.
 5 Praetulit innumeris Cocburnum Phoebus, et inde
 6 intulit hunc numeris Aonis una meis.

IN RUFUM, NEQUE ALBUM NEQUE ATRUM

E3_75 v.1 Noluit esse niger Rufus, neque candidus olim.
 2 Noluit esse bonus, noluit esse malus.
 3 Noluit in dubio nigrique albique manere,
 4 noluit esse aliquid, noluit esse nihil.
 5 Sed nunc cum Veneris misere dolet ille podagra
 6 an dubites quis sit ? Non ita, nam malus est.

IOANNI IUNIO, DECANO VINTONIENSI

E3_76 v.1 Quem patris aetherei blanda indulgentia, Juni,
 2 quemque favens nostri principis aura fovet
 3 grate Deo regique hominum, grate omnibus une,
 4 ore licet juvenis, pectore mente senex,
 5 gratior ut cunctis vivas, gratissime Juni.
 6 Gratior at Musis non potes esse meis.
 7 Junior et cunctis possis quoque vivere, certe,
 8 junior in numeris non potes esse meis.

DE HUGO GROTIUS, OPE ARCAE SUAE CARCERE ELAPSO

E3_77 v.1 Carceris indigni tenebras et taedia longa
 2 Grotius ut posset cautius effugere,
 3 sese arcae inclusit, depromptis arte libellis,
 4 elusitque omnes fraude favente manus.
 5 Quem sic conclusum, cum tollere portitor iret,
 6 nempe humeros, melius quo super iret onus,
 7 sensit, deinde gemens : "Dii coepta hoc nostra secudent.
 8 Hic plus innumeris credo sed esse libris."

ADHUC

E3_78 v.1 Daedalon, Aegiden, et tempora prisca revolve,
 2 confer, et ad nostros lumina verte dolos.
 3 Vix simile invenies facinus, tam grandibus ausis,
 4 crede mihi auctores res habet ista deos.
 5 Aegides filo eripuit se, Daedalus alis,
 6 omnia at haec solus Grotius exsuperat.
 7 Carcere se clausit quo carcere abiret, eratque
 8 ipse sibi custos liber ut ipse foret.

ADHUC

E3_79 v.1 Sandipalam ut fugeret, solers se Grotius arca
 2 clausit, custodum lusit et arte manus.
 3 Mors risit facinus, pharetraque, haec, tela recondens :
 4 "Vive tuo fato, vive, poeta, meo."

CUR CAELIBEM DEGAT VITAM AUTHOR

E3_80 v.1 Si tibi forma potens, si pulchro in corpore vires,

2 ibit in amplexus nympha Britanna tuos.
 3 Si fundos patriique lares, si nummus in arca,
 4 conveniet thalamis Galla puella tuis.
 5 Si nimis Idalio pectus transfigitur igne,
 6 Ausonis est precibus virgo roganda tuis.
 7 Hellespontiaci bona si tibi vasa Priapi,
 8 accedet votis fuscula Ibera tuis.
 9 Si Bromio, choreisque vales traducere noctes,
 10 est de Teutonico sponsa petenda solo.
 11 Robore, divitiis, flamma, mutone, choreis,
 12 qui valet, huic sociam fas sit habere tori.
 13 Me pater Aonius thalamis abduxit, et inquit :
 14 "Quae velit ingenium non erit ulla tuum."

IOANNI ADAMSONO, VERBI DIVINI APUD LIBERTONENSES PRAECONI

E3_81 v.1 Quem Phoebus duplici complectitur aequus amore :
 2 qui citharae medicas addis amice manus,
 3 herbarum, numerumque potens, cape munus ad illo,
 4 qui tibi se officio mancipat usque novo.
 5 Ignavum cholerae stomachum genus acre premebat,
 6 cui color ut flammae, sic vigor ignis erat.
 7 Jam Cererem miseri, Bacchumque averterat ore,
 8 namque male assumptum propulit usque cibum.
 9 Jussisti sperare aegrum meliora poetam :
 10 porrextique meis pocula sana labris.
 11 Sana, sed haec stomachi venas tentare latentes,
 12 atque alvi abstrusas quae valuere vias.
 13 Nec mora contractis valido conamine nervis
 14 fertur, et oesophago noxius humor abit.
 15 Altera pars, variis errans ambagibus exit,
 16 lubrica dejectis qua via nota cibus.
 17 Quid tibi pro meritis debebo, et munere tanto ?
 18 Quid poterunt numeri solvere deinde mei ?
 19 Tu mihi Phyllirides, Podalyrius, atque Machaon,
 20 tu mihi, tu Paeon ; tuque Melampus eris.
 21 Cumque tuos Lachesis (sed tarda) exsolverit artus :
 22 et cum de tanto nil nisi pulvis eris.
 23 Aut lyram Arioniam propter, sidusve bimbembre,
 24 ibis, Adamsonio nomine, stella polo.

LUDOICO STEUARTO, CAUSARUM IN SUPREMO SCOTORUM SENATU PATRONO

E3_82 v.1 Debita tu poscis, mihi debita solvere cordi.
 2 Sed rogo, solventur quo, Lodoice, modo ?
 3 Tu grates poscis, grates mihi reddere cordi.
 4 Sed rogo, reddentur quo, Lodoice, modo ?
 5 "Carmina persolvas," inquis, "saltem ergo poeta."
 6 Sed rogo, persolvam quo, Lodoice, modo ?
 7 Debita si grates et grates carmina poscis,
 8 innumeros numeros me numerare jubes.
 9 Debita sin versus, nec grates debita poscis,
 10 versibus en bis sex cuncta soluta vides.

THOMAE GODDAEO THEOLOGO, ARCHIEPISCOPI CANTURIENSIS SACELLANO PRIMARIO

E3_83 v.1 Huc, huc, hendecasyllabi quot estis,
 2 vel posthac eritis, vel hinc eratis
 3 huc, huc, hendecasyllabi venite.
 4 Goddaeus rogat, et jubet rogando,
 5 Goddaeus pater elegantiarum,
 6 Goddaeus pater omnium leporum,
 7 Goddaeus decus artium bonarum,
 8 Goddaeus decus omnium bonorum,
 9 Goddaeus probus, aureus, disertus,
 10 Goddaeus pius, innocens, modestus,
 11 Goddaeus Charitum medulla plena,
 12 Goddaeus lepidae labella Pithus,
 13 Goddaeus bene vos amans colensque,
 14 Goddaeus bene nos colens amansque.
 15 Si quorsum velit ille vos venire
 16 fors sit scire juvat, parum negoti est.
 17 Verum aut, hendecasyllabi, huc venite, aut
 18 ad illum, hendecasyllabi, hinc abite.

IN POETAS HUIUS SECVLI, JACOBO SCOTO,
 IN SUPREMO SCOTORUM SENATU SCRIBAE PRIMARIO

E3_84 v.1 Esse quid hoc dicam nomen quod vile poetis,
 2 raraque nunc tollat gloria Pieridas ?
 3 Anne, quod aeterna fixerunt numina lege,
 4 tempora uti geniis sunt varianda suis ?
 5 Anne quod obruimur numero, dum quisque poetae
 6 inscribit numeris nomina, Scote, suis,
 7 prostituitque deas pretio, dominoque ministros
 8 aequat, et in cunctos officiosus adest,
 9 aut fuit insanae satyris, sale, vulnere, Musae
 10 qualis ab Ogygio concita Baccha deo ?
 11 Haec videt, obscuraque jacet generosus in umbra,
 12 contemptor vates sortis et invidiae.
 13 Hic majora aulis regum, vel principe toto,
 14 concipit, inflatus liberiore deo.
 15 Hic apis est, meritis qui praemia digna rependens
 16 mel et, cum libuit, spicula fellis habet.
 17 Naturae hic vitaeque novus simulator in orbe,
 18 proximus a magnis mente animoque diis.
 19 Cetara adulantum, Scote, est val turba furentum,
 20 hic est Aoniae cui datur haustus aquae.

IN CASTORIS NASUM

E3_85 v.1 Castoris egregius nasus supereminet omnes,
 2 nulli non operi commoda multa ferens.
 3 Nam ligo, falx, vomer, cardo, anchor, buccina, et hamus,
 4 asciaque, et scalprum, et fuscina carnis erit,

5 fossori, viti, agricolae, foribus, rati, et armis,
 6 piscibus, et fabris, fumificisque coquis.
 7 Magna quidem haec aliis, domino sed nulla videntur,
 8 dum non est lepidi plena lagena meri.

IN D. ROBERTUM AITONIUM EQUITEM, POETAM CELEBERRIMUM

E3_86 v.1 Nomen Acidalia quod fixit arundine Cypris,
 2 nomen quo Paphius ludere gestat Amor,
 3 nomen Hyanteis quo sese oblectat in undis
 4 dum tereti Phoebus pollice pulsat ebur,
 5 nomen quo Musis non ullum notius audit,
 6 esse suum Charitum quod bona triga velit,
 7 nomen pacis amans et mille leporibus aptum,
 8 cui Suada indulget, cui sine felle jocus,
 9 nomen in harmonico quod Jupiter audit Olympo,
 10 dum miscet Phrygius pocula laeta puer,
 11 nomen quo tellus, auraeque, atque humor aquai
 12 cuncta concordant, dic quod. Aitonius.

MARS ET AMOR

E3_87 v.1 Ense ferox hastaque minax, sua proelia caelo
 2 jactabat summum Marspiter ante Jovem.
 3 Risit Amor, faculasque tenens gravidamque pharetram :
 4 "Sunt etiam matri proelia grata meae."

MARS ET BACCHUS

E3_88 v.1 Horridus in galea, et squamis thoracis aeni,
 2 obvius Ogygium dum furit ante deum,
 3 et sese nimium Mavors ostentat in armis,
 4 qualis in Haemonio pulvere proelia obit,
 5 torva tuens oculis, Getica Bacchum increpat hasta,
 6 et : "Tua quisnam, Euan, spicula vidit ?" ait.
 7 Subrisit, cyathumque tenens et cantharon, Euan :
 8 "Quid mea si excutiant, Mars, tua tela tibi ?"

ADAMO REGIO POETA, IN CONSISTORIO ECCLESIASTICO EDUNENSI IURIDICO

E3_89 v.1 Cognomen nomenque tibi, doctissime vates,
 2 imposuit fati conscia Musa tui.
 3 Illud quod rex sis, hoc quod vatum pater audis,
 4 et, Regi, ex merito nomen utrumque tuo.

DE GALLIAE NOMINE

E3_90 v.1 Gallia num gallis Cybeles, gallisne Gradivi,
 2 debeat, an gallae nomina, vel Galatis,
 3 an "galeê" potius, galeaene, an forte "galakti",
 4 incerta penitus sub ratione latet.

5 Hic ego sollicitus Phoebum dum consulo, risit,
6 et simul haec : "Nimium Gallia amat galeam."

GALLIA DISCEDENS, KAL. MAIIS

E3_91 v.1 Gallia cara vale, nostrae gratissima vitae,
2 forte iterum haud oculis adspicienda meis.
3 Gallia blanda, vale, summi Jovis aurea sceptrum,
4 divitiae Argivae gazaque prima deae,
5 gaudia Pomonae, Silvani umbra, et rosa Florae,
6 deliciae Bacchi, blanditiae Cereris,
7 Elysii Plutonis agri, Deoidos Enna,
8 Latona genitae lustra nemusque deae,
9 basia Acidaliae, lususque et furta Diones,
10 aligeri pueri tela, pharetra, faces,
11 aegis et armigerae dextra ingeniosa Minervae,
12 jus Themidos, Pacis saepe petita quies,
13 Paeonis herba, manus Podalyria, gloria Phoebi,
14 et decus Aeonii palmaque rara chori,
15 Neptuni risus, rigidi galea hastaque Martis,
16 Aeolii zephyri, Mulciberique labor,
17 Mercurii merces, Suadae illibata medulla,
18 aureaque et Charitum firma catena trium.
19 Cetera quid memorem ? Merito Pandora deorum
20 et desiderii lenta cupido mei,
21 nunc iterum, nunc dulce vale, pulcherrima tellus,
22 quam nulla ex animo subtrahet hora meo.
23 Sed tamen, ut totos rapias mihi, candida, ocellos,
24 carior est animo Scotia fusca meo.

AD LECTOREM

E3_92 v.1 Haec ego, dum tristes licuit deponere curas,
2 in mediis lusi carmina laeta malis.
3 Non tibi uti, lector, quicumque aliquando futurus,
4 displicuisse nimis vel placuisse queam.
5 Haec alios tangant, melior quos spectat Apollo,
6 Maecenas placida queis probat aure jocos.
7 Dura meos numeros sequitur fortuna, patronum
8 quaeritat, at nullum nostra Thalia videt.
9 Ergo mihi placeam satis est. Sic ipse poeta,
10 ipse mihi lector, ipse patronus ero.

EPIGRAMMATUM LIBER QUARTUS

AD LIBELLUM SUUM

E4_1 v.1 Quo tu, quo, liber otiose, pergis ?
 2 Nonne tres satis hactenus fuerunt
 3 quos damnet Cato Zoilusque carpat,
 4 nugivendali et improbi libelli ?
 5 Huc ad scrinia, si sapis, redito,
 6 nec per aerias vias, inanis
 7 pennae remigis, ire vanus aude.
 8 Rides, et furere usque perseveras,
 9 tui nec satias te habet furoris ?
 10 Cur istuc ? Tineis malisque blattis
 11 nempe ultra cibus esse permolestum.
 12 Tum de servitio gravi, atque duro,
 13 et longo, domino sub oscitante,
 14 permultum quereris. Cuine questum
 15 de me ibis ? Cui ? tertio Catoni ?
 16 Octavo aut sapientium ? Bene istuc.
 17 Sapisti hoc, liber otiose, in uno :
 18 namque haud dedecus et nihil pudori est
 19 lactucas similes habere labra.

NOBILISSIMO OSMUNDO STEUARTO, COMITI MARCHIAE, BARONI AUBIGNIO etc.

E4_2 v.1 Rursus ad Aonias offendo denique rupes,
 2 rursus Hyanteas poto sititor aquas.
 3 Quae mala vesanum mens, o Stevarte, poetam,
 4 quisve furor Musas commovet iste meas ?
 5 Nonne licet fugisse malum quod jam ante nocebat,
 6 exemploque iterum tutius ire meo ?
 7 Parce tamen, rerum spes et tutela mearum.
 8 Namque etiam factis stat sua causa meis.
 9 Naufragus Aegaeum fugiat licet aequor, at idem
 10 saepe legit parva litora curva rate.
 11 Saucius at clypeos tractat gladiator et enses,
 12 quamlibet imbelli ventilet arma manu.
 13 Me quoque, qui duris miserum jactatus ab undis,
 14 qui Praenestinae cuspide fixus herae,
 15 me quoque naufragii tabulas juvat hasce referre,
 16 et tractare nova vulnera prima manu.
 17 Ergo tibi has vestes desuetaque figimus arma.
 18 Nam mihi tu Alcides, tu Ennosigaeus eras.

IN EDINUM VEL EDINBURGUM, URBEM SCOTIAE PRIMARIAM

E4_3 v.1 Viderat Edini florentem civibus urbem
 2 pax bona, finitimi culmine nixa jugi,
 3 armorum strepitu vacuum et clangore tubarum,
 4 nunc melius cultu luxuriare novo.

5 Hinc bene summorum clausam munimine montium,
 6 hinc Bodotriaco ponere jura freto.
 7 Viderat, et felix genio terraeque virumque,
 8 "Longum" ait, "urbs, fatis prospera vive tuis."
 9 Nempe suam haec Venerem, nempe haec Tritonida numen,
 10 illa Jovis fratrem jactet, et illa patrem,
 11 altera mentiti toto sese agmine caeli
 12 effera, et divos dinumeretque deas.
 13 At tu alias inter tantum caput exere, quantum
 14 exsuperat falsos, verior ille, deos.

D. ROBERTO CARO ANCRUMIO EQUITI, PRINCIPI CAROLO A CUBICULIS INTIMIS

E4_4 v.1 Carum Pieriae caput cohorti,
 2 carum Cecropiae caput Minervae,
 3 carum mellifluae caput Suadae,
 4 carum ter Veneri Cupidinique,
 5 et carum tribus o caput puellis,
 6 caris quae Orchomeni lavantur undis,
 7 sic quicquid precor elegantiorum,
 8 sic quicquid precor est venustiorum,
 9 sic quicquid latet upsium bonorum,
 10 caros inque oculos, caputque carum,
 11 et totum bene, Care, depluant te.
 12 Fave : dum juvenem deum petentes,
 13 (sive Apollo amet ille, seu Cupido,
 14 seu quicumque alius deum vocari ;
 15 certe amplum jubar, atque amor Britannum,
 16 et spes, deliciaeque, Gratiaeque)
 17 nunc priva prece vota nuncupamus.
 18 Ille si puer est Cupido, flammis,
 19 sin Apollo, habeat sibi hasce Musas.
 20 Verum, quicquid id est quod hic dicamus,
 21 sit gratum tibi, sit precorque carum.
 22 Hoc te, per genium tuum rogamus ;
 23 carum Pieriae caput cohorti.

IN DOCTORATUS THEOLOGICI GRADUM A S. R. BRITANNIARUM REGE JACOBO RESTITUTUM,
 ET DOCTISSIMIS QUIBUSDAM VIRIS COLLATUM

E4_5 v.1 Ecquid Hyperboreae torpens modo frigore brumae
 2 Grampus rectis provocat astra comis ?
 3 Quid Taus exsultat ? Quid Glotta, quid Esca superbit,
 4 donaque gemmiferis qui subit aequor aquis ?
 5 Scilicet Arctoeae positos sub finibus ursae
 6 praetulit Aonio praeses Apollo solo.
 7 Scilicet hic meritas sua tollit gloria Musas,
 8 gloria non ulla deperitura die.
 9 Tu facis hoc, cui perpetuo comes addita virtus,
 10 cui decus, et pietas, cum pietate fides.
 11 Tu facis hoc, rex magne, novi nova gloria saeculi,
 12 praeside quo Ausonium non timet agna lupum.
 13 Sub quo tot, tantos, tulit una Scotia partu,
 14 doctrina, ingenio, religione pares,
 15 sub quo tot tanti merito decorantur honore

16 doctrina, ingenio, religione pares.
 17 Felices nimium tanto sub principe natos !
 18 Felicem tantis, rex te, Iacobe, viris !

QUAE OPTIMA SEMPER FEMINA

E4_6 v.1 Femina nulla mala est thalamo non juncta jugali.
 2 Cum thalamum intravit, femina nulla bona est.
 3 Sed bona dissimulat, sese mala prodit aperte,
 4 sed bona non bona est, sed mala pejor erit.
 5 Qui sapis ergo, et vis ubi sit bona femina semper
 6 ne tangat thalamum, speret at usque tuum.

QUOMODO AMANDUM

E4_7 v.1 Phyllida Demophilus longum petit, illa jacentis
 2 despicit elato pectore dura preces.
 3 Omnia tentavit : numeris laudavit amicam,
 4 laudibus et vanis plus tumet illa modis.
 5 Praestitit obsequium, libertatemque remisit,
 6 imperiiis profert tempus at illa novis.
 7 Munera multa tulit, spernit cuncta illa. Quid ergo ?
 8 Quo dabitur dominam flectere posse modo ?
 9 Nescit Demophilus quid amare, ignorat amicae
 10 qui mores, dum sic obsequiosus amat.
 11 Non ita se abjiciat, nimium non laudet, honorum
 12 obsequium praestet, munera rara feret.
 13 Dissimulanter amet, nimium ne credat amari,
 14 dotibus et placeat si sibi inepta suis.
 15 Haec agat. At juvenum pars maxima jam fuit ultro,
 16 et fingit duras, quas ferat ipsa, vices.
 17 Sic colit Aegyptus, sed porrum Roma trucidat.
 18 Sic frustra pueri turbida spectra pavent.
 19 Femina pavoni similis : mirare, superbit.
 20 Quisquis amas, dominam ne tibi finge deam.

IN GRAMMATICOS

E4_8 v.1 Aspice grammaticis quam sors adversa minetur,
 2 omina principiis quisquis inesse putas.
 3 Iram Maeonides, Lucanus Bella minantur,
 4 fraternas acies Statius, arma Maro.
 5 Barbara Bilbilidos proles, inferna Canopi,
 6 Naso Novas formas, et freta Flaccus habet.
 7 Iram, bella, acies, arma, et post barbara, postque
 8 inferna, et formas, et freta, restis ubi est ?

IN FORTUNAM

E4_9 v.1 Quam male sors divisa ! Habet omnia degener Olus,
 2 effugit instantem vix bene Cinna famem.
 3 Congestis inhiat oculis miserum Olus avarus,

4 Cinna animo intrepidus libera corda gerit.
 5 Haec ego dum meditor, Cinnam Fortuna beavit,
 6 inque locat summa, facta benigna, rota.
 7 Oblitus tamen ille sui, tumet ilicet unus,
 8 et squalet foeda turpis avaritia.
 9 Quam bene sors divisa ! Et nos quam saepe futuri
 10 mutatas querimur nescia turba vices !
 11 Caeca dea est, caecas dat opes. Miraberis ergo
 12 si faciat caecos quos fovet ipsa suos ?

IACOBO REGI BRITANNIARUM

E4_10 v.1 Multa tuas quamvis semper vox verberet aures,
 2 qui vel damna pavent, vel tua dona petunt,
 3 Saxonidum, Fergusiadum, et regnator Iernum,
 4 ne dura nostras respue at aure preces.
 5 Sit modus adversae sortis finisque malorum,
 6 sitque mihi in patria vivere posse mea.
 7 Sic mihi si Calais, si Zethes, si mihi Pallas,
 8 si misero Alcinous, denique Phoebus eris.

IANO MARTIALI SUO

E4_11 v.1 Jane, carmina sola, Martialis,
 2 post numen superosque ter beatos,
 3 habent perpetuam perennitatem,
 4 donant perpetuam perennitatem.
 5 Vulgus me vocat et putat poetam,
 6 et me carmina scriptitare novit.
 7 Si vatem putat et vocat perennem,
 8 et si carmina scriptitare novit
 9 quae nullo peritura sint in aevo,
 10 scit quae (ut si cuperem) nec ipse novi.
 11 Verum hoc in genibus deum locatum est,
 12 venturusque liber per ora docta,
 13 victurusque diu, suo carere
 14 non debet genio faventiore.
 15 Me nec spes levat avio volatu,
 16 desperatio nec premit jacentem.
 17 At quodcumque ero, care Martialis,
 18 quicquid carmina nostra dehinc futura,
 19 te, vates, ego, candidumque pectus,
 20 constantemque colam, integrumque amicum.
 21 Et si perpetuam perennitatem
 22 habebunt, super astra te usque tollent,
 23 Jane, carmina nostra, Martialis.

IN HERBAM NICOTIANAM AUT MEDICAEAM, VULGO PAETUM AUT TABACCUM

E4_12 v.1 Nomina magna gerens, vim magnam, et munia magna
 2 vecta peregrino, nobilis herba, solo,
 3 Nysigenae Bacchi, medici seu nomina Phoebi,
 4 corporibus quod agas noxia multa, feras.

5 Sive magis paeti, potis comes esto poetis.
6 Sacra diis vatium, vatibus hostis eris ?

JOVIS METAMORPHOSES

E4_13 v.1 Quod satyrus, quod olor, quod taurus, Jupiter, olim,
2 quod serpens, aurum, pastor, itemque dea,
3 femineos animos qua captes denotat arte,
4 nec vana haec toto fabula saepe polo.
5 Lascivus satyrus, cygnus formosus, et altum
6 in valido taurus corpore pectus habet.
7 Callidus est serpens, pretiosi ponderis aurum,
8 pastor amans curae, vult dea mente coli,
9 nequitiis, forma, robusto corpore, fraude,
10 divitiis, cura, cultu animique bono,
11 vince tuam. His freto (quantumvis aspera) nectet,
12 difficili longas, nulla, in amore moras.

IACOBO HAYO DUNCASTRIO VICECOMITI

E4_14 v.1 Posse tuumne querar querar an mage, nobilis Haye,
2 nolle tuum an potius quod volo velle tuum ?
3 Si non posse querar, nolle accusare videbor.
4 Si non velle querar, non ego nolle petam.
5 Verum et posse et nolle et velle atque omnia causor,
6 iudice vel Clario, si patiare, deo.
7 Posse quod haud velit et quod posse, hoc nolle recuset,
8 vel quod haud nolit <hoc> neque posse ferat. (vers lacuneux)
9 Tolle moras patrone omnes, nec tempora ferat :
10 et qui nolle potes, nunc quoque posse velis.

IN PRAESULES MOECHOS

E4_15 v.1 Jura pater thalami Latius dum cuncta negaret
2 fratribus et calvis pinguibus et monachis,
3 Caenobium moechis, scatuitque urbs pellice multa
4 agnovitque nothos curia saepe novos.
5 Nunc concessus Hymen, sed moecha et restat adulter,
6 mitratosque ciet spuria turba patres.
7 Moechantur vetiti, concessa licentia fraudi est.
8 Castrari hoc ipsos quid vetat ergo patres ?

IN LUPAS NON LUPAS

E4_16 v.1 Lupas, lupanar, et lupanares jocos
2 quos et Priapus et novit decens Venus,
3 amare fugio, et corde toto abominor.
4 Idem hanc repente desero sententiam,
5 cerno hisce plagis, quas Deus benignior
6 aspexit, hinc et inde, ubique desuper
7 lumen salutis purius multo serens.
8 Lupas, lupanar, et lupanares jocos

9 quos et Priapus et decens novit Venus ;
 10 abesse namque jusserint licet procul,
 11 tamen, impium non exigunt aliud magis.
 12 Quid enim improbat <de> publica illic Venus,
 13 privata si jam publica audiat magis ?
 14 Liceatque nuptam conjugem, aut puellulam,
 15 impune adire ? Queis cura ista credita,
 16 per cuncta, quaeso, tollite impium scelus,
 17 potiusque (quo securiora cuncta sint)
 18 lupas, lupanar, et lupanares jocos
 19 quos et Priapus et ridens facit Venus
 20 jubete rursus huc venire. Namque quis
 21 furor ille vester, quam hac vaga licentia,
 22 peccare, ne peccata sint, permittere ?

PATRICIO MALLIO PANMURIO REGI AB INTIMIS CUBICULIS

E4_17 v.1 Materno veniens sanguis nos stemmate, Malli,
 2 junxit, Areskinae germina bina domus.
 3 Hoc proavum curae nostrum debebit uterque,
 4 et qui conjugii vincula nectit Hymen.
 5 Sed mihi nec tu aliquid, nec ego tibi debeo, Malli.
 6 Uter sic poterit debitor esse prior ?
 7 Da quod amem ; da te, Musas tu meque reposces,
 8 debitor ut tandem fiat uterque simul.

IN APES IN MUSAEO D. IOANNIS SCOTI SCOTOTERVATII EQUITIS MELLIFICANTES

E4_18 v.1 Dum Fergusiacos Scotus parat aedere vates,
 2 sparsa legens variis undique membra locis,
 3 mellificae volucres, castris de more relictis,
 4 qua laurus virides pandit odora comas
 5 consedere simul, factoque hinc agmine rursus
 6 (mira loquor), regem turba secuta suum,
 7 delegit certam sibi Scoti in culmine sedem,
 8 servat ubi vates bibliotheca sacros.
 9 Illic ver geminum, geminosque morata Decembres,
 10 sedula in Hyblaeo nectare sudat apis.
 11 Non temere hoc casuque aliquo, verum omine certo,
 12 scilicet auctores res habet ista deos.
 13 Fautori vatum tibi, Scoti, unaque poetae,
 14 mella vovent curis, laurea sarta comis.

MENTULAE COCHINIAE VOTUM, DUM CRUCI ADDICERETUR PARISIIS

E4_19 v.1 Mersus ego Etruscis quondam conchinius undis
 2 penis eram medicae redditus artis ope.
 3 Nunc me turba cruci addixit. Quod si pereundum est,
 4 hoc date, ut Etruscis denuo mergar aquis.

DE MENTULA CONCHINIA IN CRUCE PENDENTE

E4_20 v.1 Mentula dum Paridis pendet conchinia in urbe,
 2 et populo ludos mille jocosque facit,
 3 risit, et adspectans Junonem mellea Cypris,
 4 "Custodem hunc horto sume", ait, "Hesperio."
 5 Cui Jovis haec conjux : "Tibi sit tuus iste Priapus.
 6 Fallor enim, aut hortis praefuit ante tuis."

IN COELIAM

E4_21 v.1 Moecha es. Mentior. Atque virgo. Nugor.
 2 Et tribas. Quis enim velit probare ?
 3 Sed dum te nimis ipsa amas probari,
 4 tribas, Caelia, moecha, defututa es.

IN RUFUM UBIQUITARIUM

E4_22 v.1 Nescio quis modo te Germanus Maevius, esse
 2 in caelo, inque solo, scripserat, inque salo.
 3 Nec contentus eo, nimium dum laudat, ubique
 4 collocat. Anne Erebum credidit ille locum ?

IN RUFUM UBIQUITARIUM

E4_23 v.1 <Qui> Rufus siet ille, ne requiras :
 2 hoc, lector, nimis est periculosum.
 3 Verum ne videar timere Rufum,
 4 has notas dabo. Pessimi ille vultis,
 5 et Bacchi et Veneris comes perennis.
 6 Si quaeris ubi sit, petas licebit.
 7 Non hic, non alibi, sed est ubique.
 8 "Proh", dicis, "quid id est ? " Sed, o amice,
 9 redi. Si memini, locum tenebis.
 10 Illic qua prope paeticam tabernam,
 11 fratrem paene podagricum atque Gallum,
 12 chirurgus quoque pene frater urit.

IN SEXTUM

E4_24 v.1 Acer equo, nemora atque altas indagine silvas
 2 cingis, Sexte, avibus, Sexte, verende feris.
 3 Et nimis indulges vano sterilique labori,
 4 quod tibi multa suas villula pascat oves.
 5 Fenus at interea, Morraeus, et Olbius, auctum,
 6 atque hinc Carterus exigit, hinc Dicus.
 7 Desere quin silvas, ne a te tam lauta supellex
 8 cum canibus currat, Sexte, avibusque volet.

IN ORNITUM POETAM

E4_25 v.1 Ornite, difficiles nugas fugis, ilicet inde
 2 scribis vulgari nudum epigramma sale.

3 Non mihi nuda Venus, thalamo nisi juncta, placeret.
 4 Quod nuda, averso est ore, secunda Charis.
 5 Vulnera nudus apum passus Cythereius ales,
 6 ridetur nudo corpore simplicitas.
 7 Laomedontiada ternae sub Judice divae,
 8 velarunt aliquo membra pudica modo.
 9 Opposuit Cytherea rosas, sua lilia Juno
 10 innuba Erichtonidum Gorgonis ora dea.
 11 Nuda placent ; verbis verum, Ornite, tecta decoris
 12 gratius in Coa corpora veste nitent.
 13 Nolo ego difficiles, nugis quia gratia nudis,
 14 nolo ego futilibus prostituique modis.
 15 Sed tales cupio, qualem optem semper amicam.
 16 Nolo nimis facilem, difficilemve nimis.

D. ROBERTO CARO ANCRUMIO EQUITI,
CAROLO VALLIAE PRINCIPI A CUBICULIS INTIMIS

E4_26 v.1 Si quis erit, magnos animi perferre labores
 2 cui dedit aegiochi filia magna Jovis,
 3 quem neque ridentis magna inconstantia sortis
 4 praecipitet, dubiae nec gravis ira deae,
 5 si quis erit, cui cura boni, cui pectus amicum,
 6 cui pietas, bonitas, cum bonitate fides,
 7 aut certe, Ancrumii decus et nova gloria ruris,
 8 hic mihi tu fueris, vel mihi nullus erit.

EIDEM VALEDICENS

E4_27 v.1 Dulce decus patriae, Musarum maxima cura,
 2 o mihi ter carum Care perenne caput,
 3 tandem post furias et durae fulmina sortis,
 4 et cuncta invidiae spicula dulce vale,
 5 et simul hoc nostri monumentum et pignus amoris
 6 quod memori serves pectore semper habet.
 7 Care, me patiar cum te de pectore abire,
 8 nox mihi lumen erit, nox mihi numen erit.

DANIELI FITLAEI SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR,
ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS SACELLANO, DE IURE AC VI

E4_28 v.1 Jus et vis duo sunt. Juri contraria vis est.
 2 Nam n^{umquam} jus vis est, si sit forte coactum.
 3 Haec ego jure cano : nam si, Fitlaee, coactus,
 4 unum, non duo, mi facerem contrarius ipsi.
 5 Quod si anagramma sapit praesentia tempora ridens,
 6 non jus vis duo erunt, sed, ut ipse fateberis, unum.

GEORGIO BUCHANANO POETARUM SUI SAECULI FACILE PRINCIPI

E4_29 v.1 Magnus Maeonidae cessit Maro, Naso Maroni.
 2 Cui Maro et ingenio Naso Maroque tuo.

ALEXANDRI SETONI SCOTIAE CANCELLARII TUMULUS

E4_30 v.1 Terra annis titulisque gravem tegit ista Setonium,
 2 inter felicis foedera bina tori.
 3 Ut vita felix, ita morte et sorte sepulchri,
 4 conjunctus tumulo, queis fuerat thalamo.

DE FRANCISCANO VINUM DILUTUM FUGIENTE

E4_31 v.1 Dum parat apposito lymphas sociare Lyaeo,
 2 temperet ut mixtis vina minister aquis,
 3 cordiger acclarans : "Puer, o puer improbe, siste.
 4 Non facit ad stomachum res", ait, "ista meum.
 5 Non mihi lumbifraga lassatus Cypride Bacchus,
 6 sed sine concubitus crimine purus eat."

IACOBO HAYO DUNCASTRIO VICECOMITI

E4_32 v.1 Poeta, juvenis, atque dives ut satis,
 2 Musas, priores animos, et peculium
 3 prope perdidit, remisit, et ah deglutit.
 4 Huic causa, Galla, Scotus, Anglus est malo,
 5 regina, rufus Zoilus, pastor gravis,
 6 mutone, morsu livido, superbia.
 7 Tu quem favor, virtusque, amorque mutuus
 8 Jovis Britannici, propria, omnem undique,
 9 Haye, extulit, laudavit et gratum dedit,
 10 me cerne, tolle, me tuere, jam nimis
 11 inopem ; jacentem ; proditum male a malis
 12 tot sumptibus, sorte invida, calumniis
 13 mihique, Musisque, et novo rogatui,
 14 misero, retentis carcere, atque innoxio,
 15 favorem, amorem, opem fer, apto tempore.
 16 Sic te Britanno, Gallo, Hibernici Jovis,
 17 a sorte dura, ab hoste, fraudibus malis,
 18 Favor, Haye, amorque, opisque, dextra protegat.
 19 Quod si annuas, si non negabis, at dabis,
 20 qui perdidit remisit, et deglutiit,
 21 Musas, priores animos, et peculium
 22 poeta, juvenis, atque dives, te hinc feret.

AD POETAS, PRO SATYRA

E4_33 v.1 Scribite, Pierii, carmen quod pungat olores,
 2 in socerum cecinit quale poeta suum.
 3 Nil prodest lusisse operam nugisque jocisque,
 4 et laude indignos praepete ferre viros.
 5 Scribere quod possunt reges audire ducesque,
 6 quod fratrum turpes, quod monachumque greges.
 7 Quod praesul pinguis, vocitet quod papa superbus
 8 quod frater moechus triste, sororque tribas.

9 Omnia jam laudum sunt compita plena, nec ullus
 10 nascitur aut thalamo jungitur aut moritur
 11 versuum et ingenti laudem haud oneratus acervo,
 12 prostibulum cunctis Musa ita casta sedet.
 13 Hinc mala pauperies ita vos comitata frequenter,
 14 hinc sonat e vestra multa querela lyra.
 15 Quin sapitis ? Nil dat, metuat nisi acerba tyrannus,
 16 si papa audiret triste poema, daret.
 17 Nunc vos, o papae, reges, vigilate, ducesque :
 18 thesauris vates insidias struimus.

DE PATRICII SCOTI TABELLIS REGIS, AD LECTOREM

E4_34 v.1 Quae tenerum pectus ratio instruat et bene formet
 2 principis, et vitae qui modus inde bonae,
 3 quod placeat, quid non, quid inutile, turpe, decorum,
 4 quoque modo recta sceptris gerenda manu,
 5 denique mortis quae cura sit inde sepulchri,
 6 omnia in exigua hic Scotus habet tabula.
 7 Tu quem pauca juvant, hunc quoque volue librum
 8... [LACUNE]

IACOBO HAYO VICECOMITI DUNCASTRIO

E4_35 v.1 Qui quondam cecini, multum ludente Camena
 2 pro domina et puero carmina blanda deo,
 3 qui tibi felices nugas, nisi fata negassent,
 4 livor et innocuum dente petisset opus,
 5 sacravi, nunc post tot taedia carceris atri
 6 assertus meritis inde sed, Haye, tuis,
 7 accedo, geniumque loci, vestrisque favoris,
 8 teque volens dominum dico, saluto meum.
 9 Ergo age ne tetrico nimium me respice vultu,
 10 ne dura molles respue mente jocos.
 11 Invenies aliquid quod delectabile : Musa
 12 non adeo adverso sidere nata mea est.
 13 Invenies toto ducat quod splene cachinnos ;
 14 solverit in lacrimas lumina nostra licet.
 15 Debueram Musas tibi cum prius ista dicavi :
 16 nunc tibi me et Musas, nobilis Haye, meas.

IOANNI LEONTI GLAMIO COMITI KINGORNIAE, CUM PATRIS EI EPICIDIUM OFFERRET

E4_36 v.1 Non hic Niliaco surgentia culmina saxo,
 2 nec quod conspiciant nobile Cares opus,
 3 sed lacrimae, de lacrimis miserabile bustum
 4 quod struxit Musae debita cura meae.
 5 Sume, heros, lacrimarum oculis stillantibus imbrem,
 6 sume, jube et gemitus inter adesse tuos.
 7 Quod si praestiteris, longe fastigia cedent
 8 Pyramdum, et lacrimis, Carica saxa, meis.

PATRICII LEONTIS GLAMII COMITIS KINGORNIAE TUMULUS

E4_37 v.1 Adsta, viator, et genis rorantibus
 2 invise bustum hoc flebile,
 3 bustum tropaea mortis, et vagae cita
 4 Rhamnusiae ludibria,
 5 bustum Leontis, <et> Leontis illius
 6 cui pectus usque vividum,
 7 generosum, et altum, vita cui nullos tulit
 8 animi ruentis impetus,
 9 compressa luxu noxiove perdita
 10 fallacis aevi poculo.
 11 At, o viator, o recede, non jacet
 12 spatio sepultus hoc brevi
 13 generosus ille. Si Leontis hic vides
 14 spolium, Leontem haud aspicias.
 15 Nam si furenti fixus ille spiculo
 16 fati quiescit ultimi,
 17 et hic sepultus, ipsi (quod nefas) queunt
 18 dii perire caelites.

ADHUC

E4_38 v.1 En qui tot titulis, regum alto e stemmate claris,
 2 tollebat meritum celsus honore caput,
 3 mentis inaccessae dio fulgore coruscus,
 4 justitia dubium est an pietate prior.
 5 Glammeae tutela domus, stirps magna Leontum,
 6 lux patriae, gentis vota precesque suae.
 7 Tantus in exiguo tumuli hic jam clauditur antri,
 8 hei mihi, nec licuit lustra videre decem.
 9 Non licuit : sic vos, divi, quodcumque probatis
 10 tollitis. Invidiam quis neget esse deam ?

IN PRAESULEM QUENDAM

E4_39 v.1 "Crede mihi, est aliquid populi celebrarier ore."
 2 Populus es ? Nihil est os meruisse tuum.
 3 Lumina dant evangelio tua dicta. Quid ergo
 4 tantum evangelio si tua facta trahant ?
 5 Dicis episcopus, ne opicus videare magister.
 6 Cuncta at apostaticus dissimulator agis.
 7 Denique conturbas, vexas, ruis omnia, digna
 8 et non digna "kopo", dum potiare "poko".

IN PETRONIAM MOECHAM, A SEIPSA REAM

E4_40 v.1 Actorem et causam poscis ? Petronia sola est.
 2 Sponte prius cecidit, nunc quoque sponte cadit.

IN ANDREAPOLIM, VULGO SANCTI ANDREAE FANUM

E4_41 v.1 Tempora si spectes, nulli mea cedit origo.

2 Quae modo Scotorum, Pictica prima fui.
 3 Quod si forte situm, maris hinc latus alluit aequor.
 4 Hinc valles, montes, hinc et amica Ceres.
 5 Si cultum urbis amas, templis operosa nitebam.
 6 Si Musas, nusquam blandus Apollo magis.
 7 Si titulos, sedes ego praesulis una supremi,
 8 et tali merito praesule digna fui.
 9 Saecla, situm, cultum, Musas, titulosque require.
 10 Non prior at par mi urbs, aut erit inferior.

ANDREAE MELVINO SACRAE THEOLOGIAE IN ACADEMIA SEDANENSI PROFESSORI

E4_42 v.1 Jactet Edina suos, Taodunum et Glascua vates,
 2 quaeque Caledonii nomine gaudet agri.
 3 Sit sua Sterlino, sua sit quoque gloria Pertho,
 4 et decus Andreae constet honorque suos.
 5 Tollat Aberbrothea caput, caput inde Brechinum,
 6 Devaque quae videt, aut moenia Dona subit,
 7 dum vetus et ter pulsa loco Celurca priori,
 8 nos, Melvine, duos non neget esse suos.

IN ARCHIEPISCOPUM QUENDAM

E4_43 v.1 Pulchra fuit Glycere, Glycere nunc pallida vultum.
 2 Virgo fuit, matrem nunc ciet ore puer.
 3 Quisnam auctor ? Famulus domini ? Dominum arguit ipsa.
 4 Quem dominum ? Nomen non licet ire foras.
 5 Talia qui fierent dum quaero, Curio ridens
 6 respondit paucis : "Archiepiscopus <est>".

STEUARTO COMITI MERCIO, CARCERE EREPTUS

E4_44 v.1 Dulce decus miseri, certa et tutela poetae,
 2 cum premeret miseris invida turba modis,
 3 ause Caledonii pectus Jovis ire rogando
 4 flectere, et obnixa sollicitare prece.
 5 Accipe quas voluit grates tibi nostra Thalia
 6 reddere nunc meritis libera facta tuis.
 7 Accipe, fors alias memori te mente sacrabit,
 8 et referet toto nomen in orbe tuum.
 9 Interea haec, non quod referatur gratia, sed quod
 10 non fieri voluit gratia tarda, cape.

AD LYDIAM

E4_45 v.1 Fertur olorinis formosa per aera bigis
 2 passeribusque suis turturibusque Venus.
 3 Si mea vis dici, Paphias imitare volucres,
 4 sed noli Paphiam, Lydia blanda, deam.
 5 Est formosus olor, passer lascivus amore,
 6 unum, sed casto pectore, turtur amat.
 7 Deliciosus olor, sed nequitiosior alter.

8 Turtur, amans nimium, blanditiosus erit.
 9 Usque superbus olor, passerque est mobilis usque,
 10 constans amisso turtur ab igne gemit.
 11 Ut sat olor poteris vel passer amoribus esse,
 12 non potes, et numquam, Lydia, turtur eris.

IN MORI MORIONIS PRAEMATURUM OBITUM

E4_46 v.1 Deliciae populi, domini dominaeque voluptas,
 2 nulli, ni soli noxius ipse tibi,
 3 nomine qui fueras, qui re quoque morio, More,
 4 tam cito cur tibi <,dic,> ne moriari mora ?

IN AEMILII ET IDAE NUPTIAS

E4_47 v.1 <Ergo> virgo seni Aemilio jungitur Ida.
 2 His oculos taedis, Pronuba, flecte tuos.
 3 Omina connubio strix, bubo, et noctua tali
 4 praebat, infaustus lampada tollat Hymen.
 5 Dives at Aemilius, nulla et jam prole beatus,
 6 haeredem extremis scribet eam tabulis.
 7 O scelus ! Hoc est divitiis, non nubere diti,
 8 nec tantum vivo mortuo ut Aemilio.

NIOBE PRAXITILIS

E4_48 v.1 De viva marmor superi, de marmore vivam
 2 reddidit artificis me ingeniosa manus.
 3 Quis major ? Mortem quam vincit adorea vitae,
 4 tantum Praxitiles numina saeva deum.

IOANNI MORAVIO REGI A CUBICULIS INTIMIS

E4_49 v.1 Qui Caledonio Jovi esse carus,
 2 gratus principibus viris, et audis,
 3 qui gaudes, Moravi, favente diva,
 4 summa quae facit ima et ima summa,
 5 qui virtute tua tibi hoc parasti
 6 quicquid nominis et favoris, audi :
 7 Muis si faveas, eris beatus.

IOANNI MAETELLANO VICECOMITI LADERANO etc.

E4_50 v.1 Pauca modo Aonidum poscebam carmina divum,
 2 det Maetellano quo mihi digna meo.
 3 Tum deus : "Antiquum genus et tot stemmata avorum,
 4 egregiique animi priva relinque bona.
 5 Scis qualis genitor, genitor cui paruit uni
 6 Scotica consiliis nobilis ante Themis.
 7 Qui juvenes magni direxit principis annos,
 8 auxilioque bonus, consilioque gravis.

9 Illius ut proles, sic hic, illius imago,
10 haeres fortunis, nomine, mente, patri."

IN PONTICUM CYNAEDUM

E4_51 v.1 Pontice, ferre uterum conjux tua dicitur. At cui ?
2 Nempe tibi, aut alii cui dedit illa viro.
3 Te quoque ferre uterum vulgus (nisi fallimur) inquit.
4 Cui tamen ? Huic conjux cui dedit ante tua.
5 Foedum conjugium, cui par non sufficit unum,
6 verum opus est alio, qui vir utrique viro.
7 Dic mihi qui legis haec, gemina una sponsa marito,
8 anne magis geminis unica juncta viris ?

IOANNI ADAMSONO, VERBI DEI PRAECONI

E4_52 v.1 Quid dicam hoc ? Pharii Musas colit ora Gatheli
2 Grampius incanis qua subit astra comis.
3 Deseruere suas ergo Permessides undas,
4 et capit Aonium Fergusis aura deum ?
5 At cur non tenuere deas Pharamondia rura,
6 rarior aut Batavo littore Apollo sedet ?
7 Unde Tagi paucas ripas olor accolit ? Unde
8 nunc silet Ausonia quae lyra pulsa manu ?
9 Numquid, Adamsone, irriguis juga vallibus invia,
10 praeferturque sacris turbidus amnis aquis ?
11 An Boreae zephyris, an frigora rura calori ?
12 Anne umbris Tempe, tesqua probanda magis ?
13 Haereo. Nil potuit, nil huc duxisse Camenas,
14 pauperies Clario ni placet ipsa deo.

DE QUADAM

E4_53 v.1 Paene puella mea est, quae me modo torsit amantem,
2 laetus io, et io paene triumpho cano.
3 Paene suas me blanditias et gaudia dixit,
4 paene dedit nostris pressa labella labris.
5 Dum nil paene negat, paene omnia perdidit et se.
6 Ride detracto paene, Venus, spolio.

DE TIMOLEONTE CAUSIDICO ET GERILO CLIENTE

E4_54 v.1 Vix bene puniceis invecta Aurora quadrigis
2 jungere te celeres, Phoebae, monebat equos,
3 cum sonuit, strepituque fores percurrit ahenas
4 juridicum Gerilus Timoleonta petens.
5 Ille ubi de stratis nutanta membra levavit,
6 "Quis mea, quis tantum limina pulsat ? " ait.
7 "Te peto, Timoleon", Gerilus respondit, et istis
8 addit propositi prima elementa sui.
9 Audiit, et demens : "Quisnam ista tuebitur ? " inquit.
10 "Haec bibit hibernas naufraga puppis aquas."

11 Huic Gerilus : "Cynosura meis tu prospera rebus,
 12 tu mihi dux, dubiae dirige lintris iter.
 13 Praemia certa ferēs. Equites centum en cataphractus.
 14 His preme commotos lintre natante notos."
 15 Risit et : "O," dixit, "belli primordia ! Inermis
 16 ferre tot armatos quis potis, oro, viros ? "

IN ALEXIUM POETAM

E4_55 v.1 Promissis, trieteride usque tota,
 2 replevit modo me poeta magnis.
 3 Quid factum ? Nihil allubentiarum.
 4 Lusit, verba dedit, recessit a se
 5 promissa inficiando, pernegando.
 6 Quin ergo valeat scelus poetae.
 7 Nam certe imposuit mihi, nec illud
 8 mirum sit volo, si potest valetque
 9 duplex vincere simplicem poetam.

IN EUNDEM

E4_56 v.1 Dum ficta scribit, ficta Alexius canit,
 2 vigilansque ficta somniat,
 3 poeta fieri gestit et dici unice.
 4 Dicendo falsa factus est.

ADHUC

E4_57 v.1 Nullus aut veterum aut recentiorum
 2 contendet puto Alexio poetae.
 3 Nemo horum fuerat poeta tantus.
 4 Namque, ne dubites, Alexius jam
 5 est verbis simul et poeta factis.

VIOLA TRICOLOR, ALIIS CLYTIE, VULGO PANSEE

E4_58 v.1 Me quidam Clytien, violam dixere periti.
 2 Sum tricolor, foliis stat mihi quinque decus.
 3 In me amor, in me odium patet exitiale novercae,
 4 inque suam, sobolem conjugis inque suae.
 5 Illic en genetrix natae, in veste decora,
 6 hinc, cum privigna pulla sorore soror.
 7 Ipsi etiam diras flores odere novercas,
 8 et fugias foliis te monuere suis.

IN CAELIAM SURDAM

E4_59 v.1 Cum sit pulchra satis, cum sit quoque Caelia moecha,
 2 quid quereris quod non audiat, Aule, bene ?

AMORIS GENERATIO

E4_60 v.1 Dic mihi, cur Veneris proles sit blanda Cupido ?
 2 Dic mihi, Vulcanum cur habet ille patrem ?
 3 Vulcanus desiderii flammam notat acrem,
 4 quae semper Paphia claudicat absque dea.
 5 Illorum soboles puer hic, deus ales amorum,
 6 qui spargit tenera fortia tela manu.
 7 Talis amor meus est. Eat hinc quae non dat : Amorem
 8 nec genitum Paphia credit inepta dea.
 9 Sit mea quae mihi det. Placet hic in amore Cytherae,
 10 hic puero, hic ipsis ordo tenorque diis.

D. GUILIELMO ALEXANDRO MENSTRAEO EQUIITI,
 REGI BRITANNIARUM A LIBELLIS SUPPLICIBUS

E4_61 v.1 Temporis abfuerim quod tantum, maxime vatium,
 2 quos videt Arctois ora Britannis aquis,
 3 desine sectari, sed si latet accipe causam,
 4 et veniam nostrae fors dabis ipse morae.
 5 Non quod amicitiae socialia foedera rumpam.
 6 Fama, velim quaeras, hac sinelabe mea est,
 7 nec quod me ulla tui coepere oblivia, lethes
 8 vix te, vix animo diluat unda meo
 9 nec quid iners Baccho facerem, placidaeve Dionae :
 10 dissidet ingenio numen utrumque meo.
 11 Sed quod noctifugae nitidissima tela diei
 12 sparserunt oculis lumina nulla meis.
 13 Sed quod nox furvo nebularum tristis amictu,
 14 involvit tenebris undique cuncta suis.
 15 At neque Cimmeriae terras tenere tenebrae,
 16 nec sol aversos praecipitavit equos
 17 quidnam igitur fuit hoc, quae nos tenere tenebrae ?
 18 Quae solem eripuit nox mihi, quaeve diem ?
 19 Scilicet a nostris lux haec tam languida chartis.
 20 Umbra fuit Musae scilicet illa meae.
 21 Hae mihi, Alexander, tenebrae haec mihi sola morandi,
 22 causa fuit juro teque tuasque deas.
 23 Nunc cum diffuso cedant fulgore tenebrae,
 24 et nova lux Musas coepit habere meas
 25 ad te continuo mecum decurrere tentant
 26 seu tibi de radiis lux ubi plena tuis.
 27 Quam modo contuleris visam te saepius : at tu
 28 tum, mihi lux, tum sol, tum mihi Phoebus eris.

D. ELIZABETHAE SCHAVIAE, IOANNIS MORAVII VICECOMITIS ANNANDIAE CONJUGI,
 SUB AURORAE NOMINE A D. GULIELMO ALEXANDRO MENSTRAEO EQUITE
 ANTEA CELEBRATAE

E4_62 v.1 Quam satis egregii commendat carmina vatis,
 2 tene putem numeris, Schavia, ferre meis ?

3 Sic male Alexandrum quisquam nisi pinxit Apelles,
 4 sic nisi Lysippus sculpere nullus erat.
 5 Sic solus cantare suum Smyrnaeus Achillem
 6 dignus erat, Phrygium vel Maro ferre ducem.
 7 Aurorae digitos et rarae munera formae,
 8 Aurorae dotes pectoris egregias,
 9 aut tu, Aurora, canas te Auroram, aut dicat Apollo,
 10 sed qui Menstraeas antea potet aquas.

PRO ANDREA AIDO ABREDONENSE VOTUM

E4_63 v.1 Non ego pro aidio, superi, modo grandia poscam ;
 2 nec dabo sacratis tura Sabaea focus.
 3 Hoc tantum, vos o Musae, tuque aure Paeon,
 4 hic meus Aidius, sit meus "aidiôs".

PATRICIO IUNIO BIBLIOTHECARIO REGIO

E4_64 v.1 Liberum, et insignem Daphnaea fronde, pudoris
 2 laudantem fines transiliisse pudor.
 3 Hoc fugiet, Juni, metuet qui nomina palpi,
 4 cuive aliquid laeva in parte mamilla salit.
 5 Jupiter ipse licet veniat tibi carmen, at ipsi
 6 turpe etiam palpum obtrudere velle Jovi :
 7 me neque quae dulci fruitur modo lumine solis ;
 8 nec quae aetas posthaec saecula rursus erit,
 9 vivere vel talem, vixisse vel arguet umquam,
 10 si quis ego nunc sum, postmodo si quis ero.

IOANNI MAXUELIO DUNFRISIENSI

E4_65 v.1 Caucasea pendet religatus rupe Prometheus,
 2 cui fera perpetuum viscera rodit avis.
 3 Quod Jovis e domibus magnique Hyperionis axe
 4 clam superos partes ignis ab igne tulit.
 5 Tu quoque, Maxueli, Phoebae lampados ignes,
 6 bis sex Castalii lumina clara chori,
 7 queis genus aethereum, queis patria Fergusis ora,
 8 subiit, e Phoebi Pieridumque domo.
 9 Non tamen idcirco poenas persolvere dignus,
 10 Caucaseae rigida pro dape stabis avi.
 11 Distat enim facinus, quamque ille Hyperionis axe
 12 clam superos partes ignis ab igne tulit,
 13 at tu homines clam, Maxueli, non numina divum
 14 de tenebris ignis lumina clara rapis.

IN CASTORIS NASO, EX GRAECO INCERTI

E4_66 v.1 Magnus Castoris ille nasus : arva
 2 vertenti ligo, deinde dormienti, et
 3 stertenti tuba, cumque Bacchus uvas
 4 maturas ait esse, falx, ratiq̄ue

5 firma est anchora, et in sinum inde terrae
 6 caute semina conferenti aratrum.
 7 Nautis hamus, et ebriis popinis
 8 carnis fuscina, curva quin securis
 9 naupego, agricolae putantis est falx.
 10 Fabris ascia, malleusque portis.
 11 Sic quid utile Castor ille nactus
 12 nulli non operi bonum et paratum
 13 secum hunc eximium ferendo nasum.

IOANNI MAXUELIO ET GEORGIO CAMERARIO SUIS

E4_67 v.1 Vina bibens, genioque litans, faciensque Lyaeo,
 2 nec tamen aut Musarum immemor aut Charitum,
 3 multus heri effudi rutilem, ejecique cruorem
 4 naribus, incertum causa habet et dubium.
 5 Suspikor interea (locus hic si forte poetae,
 6 nec semper vates dicere falsa solent)
 7 hoc vini voluisse deum ne sanguinis usus
 8 integer a sacris posset abesse suis.

GEORGIO CAMERARIO

E4_68 v.1 Sic divas Heliconis atque Phoebum,
 2 et sic nympham habeam meam faventem,
 3 sic quicquid Charitum est venustiorum,
 4 sic quicquid Venerum Cupidinumque,
 5 ut te, mi Camerari, amo coloque,
 6 totum et pectoris intimo recondo.
 7 Hoc suasit puer, ille non Cytheres,
 8 verum Cecropiae comes Minervae.
 9 Non myrto viridicomas decorus,
 10 sed rosis caput impeditus, ille
 11 virtutum puet et Cupido morum.
 12 Verum me, Camerari, abire tandem,
 13 atque hanc Sequanicam relinquere urbem
 14 et te his jam mihi cariorem ocellis,
 15 invitum licet et parum volentem,
 16 cogunt proh patriae domus procellae.
 17 Quid non his precer improbis procellis,
 18 quae me dividere optimo sodali,
 19 quae me mi rapuisse amare pergunt ?
 20 At quicumque tamen furor molestus
 21 illas nunc caput in meum ire poscat,
 22 sive absens ego, forte sive praesens,
 23 seu tristis mihi vita, sive laeta,
 24 quicquid hinc fuero subinde rerum,
 25 tuus qui fueram, tuus manebo.

IN PETRAEUM

E4_69 v.1 Seu tibi de Petro data sint, seu nomina petra,
 2 qui vexas miseros noxius usque reos,

3 augurium de te certum fecere parentes,
 4 cum tener in cunis, nec bove dignus eras.
 5 Petra riget, pelagi duris immota procellis,
 6 nullius miseri flecteris ore rei.
 7 Parcere jactatae nescit petra aequore puppi :
 8 ad te qui fugiunt, in sua damna ruunt.
 9 Horret petra jugis, nec gramine laeta nec herbis,
 10 vix in temporibus stat pilus ecce tuis.
 11 Cetera conveniunt : uno at petraeque Petroque,
 12 tantum es dissimilis, quam tibi tu similis.
 13 Petra Petrusque aurum spernit, tu, perfide, captas.
 14 Sed si non Petri hoc, forte Simonis habes.

AD FAMULUM VINO AQUAS MISCENTEM

E4_70 v.1 Quid juvat apposito nymphas sociare Lyaeo ?
 2 Quid dare digna malis vina, minister, aquis ?
 3 Pura placent superis. Puro miscere Falerno
 4 qui volet impuras, cum cane potet, aquas.
 5 Sit mihi concubitus turpi sine crimine Bacchus,
 6 qui scortatorem vult, bibat usque deum.

IN SEXTUM

E4_71 v.1 Cum tibi blanda domi, cum sit pulcherrima conjunx,
 2 tuque agites pavidas per juga summa feras,
 3 Non male qui, (nudam vis) cernere, Sexte, Dianam,
 4 ne tibi cum Autonoea par quoque poena sato.

IN GELLIUM ET SESTIUM EX GALLIIS REDUCES

E4_72 v.1 Sestius in nulla peccator virgine quondam,
 2 ebrius et nimio Gellius ante mero.
 3 Hic semper Bromii miles, numquam ille Diones,
 4 cum peterent studio Gallica rura pari.
 5 Mutati rediere domum, mens pristina cessit.
 6 Sobrius hic, nulla castior ille lupa.
 7 Mirum equidem! Queis vix Ligeris conspectus, ut undas
 8 Salmacidasque natent, Clitoriumque bibant.

IN STROPHII ET LYCI STATUAS TUMULIS SUIS IMPOSITAS

E4_73 v.1 Hic Strophius, Lycus hic. Illa illius, hujus imago haec.
 2 Hic Strophium tumulus contegit, ille Lycum.
 3 Dissimiles, dum vita ambo similesque fuere,
 4 moribus, ingenio, religione, fide.
 5 Hic vafer, ille catus, ferus hic, crudelis et ille.
 6 Ore tenus pius hic, purus at ille atheus.
 7 Vidit et expressit sculptor, manibusque levatis
 8 fundere sollicitas jussit utrumque preces.
 9 Nunc etenim Strophius quod numen sit bene novit,
 10 jamque Deum cessat dissimulare Lycus.

11 Nec veniam a superis, verum a mortalibus orant,
12 contemptus Strophius, ludibriique Lycus.

IN LYDIAE LECTUM LAUREUM

E4_74 v.1 Quam bene cum Clari tibi convenit arbore divi !
2 Quam bene cum lecto convenit illa tuo !
3 Scilicet ambabus fugere est fatale puellis,
4 aut vatem, aut numen aut famulum, aut dominum.
5 Sed duo quae fugitis, capitis cur, Lydia, cunctos ?
6 Hoc fugere haud fugere est, hoc capere haud capere est.

IN MAEVIUM GRAMMATICUM, POETASTRUM.

E4_75 v.1 Non sunt Aonidum tua illa, Maevi,
2 sed sunt carmina Colchicae puellae.
3 Nam quot carminibus tuis misellis
4 effers, improbe, laudibus, magister,
5 Diris carminibus tuis perempti
6 pedes protenus efferunt priores.

IN LUDDAM, VETULAM LENAM

E4_76 v.1 Quae lupa Ludda fuit, nulli non nota tabernae,
2 nunc alit innumeras prostituitque lupas.
3 Miraris, fuerat quae bestia, femina quod sit ?
4 Quin lupa quae fuerat jam mage Ludda lea est.

IN NAPEM

E4_77 v.1 Ore procax, gestuque loquax, et splendida amictu,
2 quamvis virgo, tamen non mihi casta, Nape, es.

IN AUTOMEDONTA

E4_78 v.1 Inspector scaphii Automedon, lasinique peritus,
2 qui modo vix medica depulit arte famem,
3 guaiacum, occiduis, dives, sarzamque perillam,
4 partibus, et ligni munera sassafrii,
5 cumque nuces ficibus quas orbis gignit Eous,
6 Chinam Sinarum detulit e nemore
7 Dutroa abstinuit, tulit huc sed cornua Goae,
8 uxori ut monstret munera rara suae.
9 Risit ut aspexit conjunx Paulina : "Tibique
10 talia fert hortus mille, marite, meus."

IN NAPEN ET LYCINNAM

E4_79 v.1 Blanda Nape vagulos huc illuc torquet in omnes,
2 corrigit austera fronte Lycinna oculos.
3 Luxuriosa Nape Coe se velat amictu,

4 contenta est parca veste Lycinna tegi.
 5 Laeta Nape verbis prurit petulante cachinno,
 6 pondera dat dictis voce Lycinna gravi.
 7 Corpora pura Nape Veneris bona proelia nescit,
 8 sensit Acidaliae tela Lycinna deae.
 9 Verum haud casta Nape, verum haud est casta Lycinna :
 10 haec quia dans renuit, haec renuendo dedit.

IN ORNITUM ET PUDENTEM POETAS

E4_80 v.1 Damnat perpetuo Ornitus severos,
 2 et duro notat undiquaque versu.
 3 Laudat perpetuo Pudens monarchas,
 4 et blando canit undiquaque versu.
 5 Mendicus parasitus est uterque,
 6 vanus, stultus, inanis est uterque.
 7 Detrita male veste nunc uterque.
 8 Pallet prae macie fameque uterque.
 9 Esuritor et est poeta uterque.
 10 10 Uterque haud Cynicus, sed est caninus.

QUAE DIXERAT, IRRUENTE ORESTE, MATER CLYTEMNESTRA

E4_81 v.1 Dum matrem saevo ense petit furibundus Orestes,
 2 nec locus ulterius, sic prius illa, fugae,
 3 "In ventrem strictone meas mucrone papillas
 4 illum te peperit, has aluere, rues ?"

IN AVITUM

E4_82 v.1 Imprimit hic scriptos, impressos tegmine libros
 2 hic donat, pretium poscit uterque suum.
 3 Tu, cui nostra suos sacrauit Musa labores,
 4 ecquod das vati munus, Avite, tuo ?
 5 Arrides, laudas, et blanda voce salutas,
 6 meque utar tanto saepe favore mones.
 7 Nil opus est inopi titulis aut laude poetae,
 8 longe aliud vatem tegmina, prela rogant.
 9 Patronum volui, non te mihi, Avite, latronem.
 10 10 Qui non dat, vati surripit ille suo.

AD LYDIAM

E4_83 v.1 Qualis post Glyceres mihi sis modo lumina, quaeris,
 2 et post Priscillae furta jocosque meae.
 3 Qualis post reliquas noctis fax candida flammis,
 4 aut post Luciferum sol nitet orbe novo.
 5 Qualis Acidalios inter pulcherrima flores
 6 stat rosa, puniceis sanguinolenta comis.
 7 Talis post reliquas mihi, Lydia. Parcere flammae,
 8 Priscillam et Glycerae lumina credo meae.
 9 Spes fore, vota fuisse, ego sed praesentia tecum

10 tempora prae reliquis, Lydia, semper amo.

IN MAEVIUM ET AUTOMEDONTA

E4_84 v.1 Deucalioneis mundus licet obrutus undis,
 2 per juga cum totas Nereus egit aquas,
 3 et Phaethonteum sensit miserabilis ignem,
 4 cum juvenis patrios nescius egit equos,
 5 non tot aquae nec equi juvenis nocuere senisve,
 6 non fluctu aut aestu tot periere gravi,
 7 quot miser occidit dum carmine Maevius effert
 8 laudibus. Ah multis quot necat ille modis !
 9 Quot curans jugulat tristi medicamine et herbis
 10 artis Apollineae nescius Automedon.
 11 Scilicet a primis mundi haec mala quattuor annis,
 12 Deucalion, Phaeton, Maevius, Automedon.

IN HYBRIDAM CAUSIDICUM

E4_85 v.1 Causidicus quod sis, quod amara rabula lingua,
 2 quod bene rixeris, Hybrida, matris habes.
 3 Sordidior quod sit te nullus avarus in urbe,
 4 scorti pastoris, Hybrida, matris habes.
 5 Quod statura tibi sit congrua, forma, decora,
 6 hujus et illius, Hybrida, patris habes.
 7 Quod dives modo sis, nothus, et possessor agelli,
 8 qui mendicus eras, Hybrida, fratris habes.
 9 Quod bibo, quod comedo, mendax, cornutus, adulter,
 10 perfidus, impostor : te pete, cujus habes.

REGIA NAVIS FLAMMIS, MALITIA INCENDIARII SUI IN SINU FORTHAE ABSUMPTA,
 PRAEFECTO SYLVIO ABSENTE

E4_86 v.1 Silvis nata steti, stans dura excisa bipenni,
 2 sulcavi vitreas aequore caesa vias.
 3 Officium, procul a silvis tutarier undas
 4 sub duce qui a silvis nomen et ipse tulit.
 5 Silvis nata, aequor subii silva auspice Sylvio.
 6 Debebar flammis, Mulciber, usque tuis.

EADEM VASTANTE IGNE

E4_87 v.1 Nec pelago, nec victa Noto, modo naufraga flammis
 2 imploro auxilii, regia pinus, aquas,
 3 duri aliis, mihi subsidio succurrite fluctus,
 4 postmodo ne vestras rideat ignis aquas.

THOMAE HOPAEO A CRAGHALL, CAUSARUM IN SUPREMO SCOTORUM SENATU PATRONO

E4_88 v.1 Quid faciam ? Quo te mactabo munere digno,
 2 qui pote pro causa tanta tulisse mea ?
 3 Quid faciam ? Quo te mactabo carmine digno,

4 qui pote pro Musis tanta tulisse meis ?
 5 Quid faciam ? Quo te mactabo gratus honore,
 6 qui pote pro titulis tanta tulisse meis ?
 7 Munere pro ingenium, pro carmine mitto poetam,
 8 illo et honore, animum mancipio usque tuum.
 9 Sin majus tibi vis, Leochaeum mitto, et in uno hoc
 10 ingenium misi, vatem, et, Hopaeae, animum.

IN ECUM, CYMBA VEHI RENUENTEM

E4_89 v.1 Nauta, quid insanis generosa in terga flagellis,
 2 pondus equus cymbae dum fugit esse tuae ?
 3 Aspicias, ut frena haec spumanti mordeat ore ;
 4 ut fremat, ut contra calcibus instet atrox.
 5 Nempe vehi pudet hunc, minus a velocibus undis :
 6 nam qui vincit equos, cedere nescit aquis.

ANSERIS SOLANI MIRA

E4_90 v.1 Incola inaccessae volucris Bassaeia, rupis,
 2 cui requiem scopulus dat, maris unda cibum,
 3 tot mihi priva uni indulsit natura creatrix :
 4 miraclum ut pisces inter, avesque putes.
 5 Sum peregrina, stato sed tempore, Bassam et Elisam
 6 advenio, Arctoi quas lavit unda freti.
 7 Hic ovum mi unum est ; sed quod si quis male tollat,
 8 non valeat veteri ponere deinde loco.
 9 Ovipara, haud ovo tamen incubo : sed pede dextro
 10 imposito, foveo mite caloris opus.
 11 Continuus mihi adest scapularum et pectoris ordo,
 12 nec magis ignavum me mea penna levat.
 13 Difficilis facilisque simul sum praeda petenti,
 14 namque aculos fugiat Tethyos unda meos,
 15 prendor humi subito, pennae nil proderit usus :
 16 haec mea sors. Potui non alia arte capi.
 17 Hinc do lautitias mensis si mergar Iaccho,
 18 et coccyx fuerit si mihi dempta prius.
 19 Hinc miro medicis prosum pinguedinis usu ;
 20 et dominis gratos mortua reddo coquos.
 21 Mira ita multa tamen cupidi gula perdit Apici,
 22 barbarus ingenii spernit inane sophos.

PATRICIO IUNIO BIBLIOTHECARIO REGIO

E4_91 v.1 Nunc, numeri, leves ad amicas protenus aures
 2 ite, dabit facilem Junius ille viam ;
 3 Junius ille, sibi quem doctus Apollo sacrauit ;
 4 cumque suo Aonidum tota corona deo.
 5 Junius ille, meo qui totus pectore regnat.
 6 Junius ille, merum mel, lepor, ipsa Charis.
 7 Ite, leves numeri, tum si salvere benignum
 8 dicat, quod superest reddite dulce vale.

IN CANEM SCOTICUM, VULGO SLEUTHOUND AUT BLOODHOUND

E4_92 v.1 Venator furum, fecit cui Scotia nomen,
 2 tergora cui vario sparsa colore nitent,
 3 membrorum te mole licet vel robore vincant
 4 plantarumque alii, vi celerante canes,
 5 clamve palamve petant praedum ; per saxa, per ignes,
 6 per juga, per latebras, per nemora, aut per agros.
 7 Nare sagace tamen, Dictynna iudice, cuncti
 8 et praedae cedant nobilitate tibi.

IDEM DE SE

E4_93 v.1 Me cura vigili custodia servat herilis,
 2 et mihi non minimum deliciosa gula est.
 3 Nare reos furti, domino mandante, sagace
 4 insequor, et presso non nisi sisto reo.
 5 Observo nutus mandantis, et omnia solers,
 6 quin domini quidnam fur tulit ore scio.
 7 Membra canina licet mihi, da, natura, loquelam,
 8 et dominum ingenio fors superabo meo.

IN EQUOS ADVERSO FLUMINE LEBBUM SUBDUCENTES

E4_94 v.1 Non velo adversas, dextra non remigis undas
 2 currimus. En, remos, carbasa praestat equus.
 3 Laudis equis nostris, Neptuni, cedite palma,
 4 non tanti aequoreum nempe tulisse deum.
 5 Si plus est natitare, ipsa aequora pervia nobis.
 6 Currere si, e vestris quando fuistis aquis ?

IN STRUTHIUM

E4_95 v.1 Foeda Lamecheae longum vestigia labis,
 2 Struthi, interdicta turpe secute via.
 3 Quid Veneris titulos, jactasque inhonora tropaea,
 4 et numeras furtis cognita scorta tuis ?
 5 Sicque tumes ceu Martis avis, vel taurus in herba,
 6 aut quasi lanigeras dux gregis inter oves ?
 7 Nec tamen Alcidae potes aequiperare vigorem,
 8 aut Proculi firmum ter validumque latus.
 9 Sit pudor, in vario non, Struthi, est gloria scorto.
 10 Unum qui potuit vincere major erit.

IN PONTICUM

E4_96 v.1 Pontice, quid titutos et inania stemmata jactas ?
 2 Quid casca nimium nobilitate tumes,
 3 elatusque alios prae te omnes despicias, atque
 4 ore frequens veteres, inscie, fundis avos ?

5 Dic mihi, Caesarea modo quis de stirpe superbit ?
 6 Dic mihi, quis Priamum jactat et Aeaciden,
 7 Caesaris, aut Priami, vel Achillis sanguine si quis
 8 jam super oblata gaudet abire stipe ?
 9 Qui jam sceptrata ferunt, forsit si prisca revolvant
 10 gente sua lixas invenientve coquos.
 11 Stemmata nobilitas veniens ignota jacebit.
 12 Stat virtus titulis nobilis usque suis.

INTERMISSIO A STUDIIS POETICIS

E4_97 v.1 Has hederæ, has myrti nexas de fronde corollas,
 2 hanc citharam et blandæ fila sonora lyrae,
 3 suspendit tibi, Castalidum pater aureæ Pæan,
 4 qua pandit virides laurus odora comas,
 5 ut si forte iterum numeros Leochæus amarit,
 6 hinc sibi sit manibus plexa corolla tuis.

DE SECUNDA EDITIONE EPIGRAMMATUM, AD LECTOREM

E4_98 v.1 Orabam modo blandius Camenas,
 2 Musas Bilbilidas, jocos, salesque,
 3 et doctas dare mobiles cachinnos,
 4 ne me testiculis meis carere
 5 indignum paterentur. Haec mearum
 6 fuit summa precum. Sed ah repulsam
 7 et de virginibus tuli puellis
 8 et de haud virginibus viris, sed illis
 9 quos castos decet esse plus puellis.
 10 Nam quod mentula scripta, deinde muto,
 11 tum praesul foret, ac subinde quiddam,
 12 offendit mea durum utrosque vena
 13 unde carcere me repente clausum
 14 jusserunt male testibus carere.
 15 Hunc quicumque igitur legis libellum,
 16 castratum satis et nimis pudicum,
 17 hoc et Bilbilidem precare turbam,
 18 hi posthac careant suis pudendis,
 19 una et testiculis, at ista turba
 20 numquam zonam habeat sibi solutam.

AD IMPORTUNOS AMICOS, HOC LIBELLO EXACTOS

E4_99 v.1 Importuna meos prius, o quæ turba, libellos
 2 vexasti, officiis insidiosa novis,
 3 nunc alibi alterius Musas pete vatis inanes,
 4 ut scombris tunicas des, tineisque cibos.
 5 Quodcumque insipidum nostræ, id vestrum ante, Camenæ,
 6 Dum studeo cunctis posse placere modis.
 7 Hic ego seu placui seu non, discede, patrono
 8 nam data Stevarto hæc tota Thalia meo.